tes poſſe exerceri. Hoc toto vitæ ſuæ ſpatio præſtitit Sanctus ille, cujus hodierna die feſtum recolit Eccleſia. *Dictionarium morale Tomo* 1.

Mundo perſuaſum eſt, raro virtutem in aulam perducere, zelum paucos, & Dei Spiritum nullos; ac ſemper primo quidem intuitu ſupponuntur illi qui ibi videntur, licet eſſent Apoſtoli, alias fovere cogitationes ab illis, quas Religio, & caritas inſpirant. Fallacia judicia, quæ improbitas, & invidia ſuadent. Paucæ ſunt aulæ, ubi Providentia non ſuſcitet identidem & per intervalla, Danieles, & Joannes Baptiſtas, qui opportune loqui norunt, cum agitur de iis corrigendis, quæ Dei lex vetat, & cenſoria nota moribus ſuis perſtringendis iis, quæ prudentia ſilentio præteriri cogit; Profecto zelus Danielis, & Joannis Baptiſtæ fortitudo requiritur ad diutius ſervandum in aula Iſraelitæ fidelitatem, & integritatem Chriſtiani, ut uni Deo Iſrael nuncupent vota, ubi tot alii dii habent delubra, & ne unquam laxent perfectionis ſuæ curam, ubi adeo pauci chriſtianam colunt Religionem. Attamen hoc opus fuit inſigne Sancti illius, cujus laudes prædico, ita ibi vixiſſe; Hoc illud eſt ex omnibus ejuſdem miraculis, quod præ ceteris in eodem admiror. *Sermo P. Aurelianenſis Tomo* 2.

Sanctus hic ſolitariam vitam duxit in mūdi luce, & omnes ſuperavit tentationes.

Si laudare poſſem Sanctum N. eo quod conſtanter reſtitiſſet in penitioribus Solitudinum latebris, iis infirmitatibus, a quibus ſtatus noſtri non ſemper immunes nos præſtant: quibus illum encomiis non celebrarem, eo quod has vicit tentationes in ipſa mundi, aulæque luce; eo quod ſæculum contempſit eo in loco, in quo ſeſe oſtentat per ea quæ ad oculos perſtringendos, & ad fallendum ſunt aptiſſima; quod humilis fuit inter honores; quod per inane ſibi complacendi ſtudium ne unicum proprii thuris granum addiderit illi, quod ſibi adolebatur ab aliis; quod paupertatem ſervarit coram immenſis magni Regis theſauris, quos oculis ſuis apertos videt, & quibus Pius Rex, numquam crediddiſſet, ſe poſſe perſolvere aliquid ſatis dignum meritis, & virtutibus ejus? *Idem*.

Quem in uſum ſuas opes convertit.

Cum dico, Sanctum hunc pauperem permanſiſſe in conſpectu omnium theſaurorum ſuorum; non aſſero, illum iiſdem uſum non eſſe. Immo uſus eſt, non tamen ſibi; uſus eſt, non tamen ut ditior fieret, vel melioribus commodis uteretur; uſus eſt, non ut ſibi exiſtimationem conciliaret, vel gratiam; uſus eſt ut aleret pauperes; uſus eſt, ut de captivitate captivos redimeret; uſus eſt, ut familiis inopia laborantibus opem ferret; uſus eſt, ut ædificaret publicas caritatis ædes; uſus eſt, ut omnia verbo complectar, æque pro ſalute Principis, & pro populi ſolatio: & dum eorum plurimis, qui propius ad Reges accedunt, ſunt veluti valla, quæ prohibent, ne publica beneficia ad populos uſque perveniant, nacti quo pacto illa in uſus proprios derivent, Sanctus N. fuit tamquam rivus fidelis, qui nihil retinens ſibi, illa ceteris diſtribuebat. *Idem*.

PRO COMMUNI SANCTORUM

Qui in Eccleſiaſtico Statu Sanctificati ſunt.

M O N I T U M.

Eccleſiaſticorum nomine, qui per gratias, & ſtatus hujus privilegia ad eximium Sanctitatis gradum pervenerunt, illos tantum complectimur, qui vocati fuerint ad miniſterium Sanctuarii, quin ullam habeamus rationem graduum, dignitatum, ſuperioratum, aliorumque officiorum, quibus in Eccleſia perfuncti ſunt. Per hanc præciſionem conſideremus tantummodo qualitatem Sacerdotum, vel ſimplicium Eccleſiaſticorum, qui altari inſerviendo deſtinati ſunt, & qui iiſdem gaudent prærogativis, quibus Levitæ in lege veteri olim perfruebantur.

Verum eſt horum Miniſtrorum multitudinem, mores aliquorum ex illis parum moderatos, & graves, otium & deſiderium commodam vitam ducendi, in contemptionem addixiſſe ſtatum hunc, & omnem ferme fidem apud viros bonos abrogaſſe: ſed cum vitia perſonarum ſint propria, non ſtatuum, quos illæ ingreſſæ fuerunt, hoc nihil imminuere debet de pretio, in quo habendus eſt propter media, & occaſiones plurimas ſeſe in illo ſanctificandi: quæ res ſtatum hunc ſecernit, & toto cælo extollit ſuper alium quemlibet ſtatum ſæcularem: ita ut dici poſſit, eos omnes qui ad illum evocantur, Sanctos futuros, ſi ſatis digne iis defungerentur officiis, quæ ſtatui eidem inhærent, & proficerent ex occaſionibus, & mediis ſexcenta opera bona faciendi. Quapropter ſi in hac innumerabili multitudine eorum, qui ibi ſancti effecti ſunt, Eccleſia nonnullos potiſſimum colit, eo quod inter ceteros enituerunt, ſatis eſt ad eorum elogium exornandum exponere ſtatus adeo ſublimis officia, & oſtendere Sanctum, qui colitur, ad unguem eadem expleſſe. Hoc autem efficere fert animus in hoc Supplemento pro Communi Sanctorum Eccleſiaſticorum.

PRO COMMUNI SANCTORUM,

Qui in Eccleſiaſtico Statu ſanctificati ſunt.

Quid ſit Eccleſiaſticus?

ECce paucis Eccleſiaſtici definitionem. Homo eſt, qui dat operam ſanctificationi ſui ipſius, & aliorum. Sed uſque quo procedere debet cura hæc ſeipſum ſanctificanndi? Talis eſſe debet, ut numquam contentus ſit vel ſui ipſius, vel operum ſuorum. Sibimet proponere debet novos progreſſus in via virtutis efficiendos. Hoc axioma eſt, quod Eccleſiaſticus neceſſario ſequi debet, eo perventurus, quo vocatur a Deo. Væ illi, qui ſui contentus ſiſtit repente gradum; & credit ſibi longius procedendum non eſſe. Idcirco Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, ſicut peccatum eſt hominis privati ea facere, quæ lege prohibentur; ita magnum eſſe vitium in Sacerdote in via virtutis non procedere; Sacerdos enim contentus eſſe non debet communi Sanctitate; ſed eo ſemper ſpectare debet, ut excellat, & ut ad nobilem hunc finem perveniat quæcumque via illi tentanda eſt. *Lambert de Officiis Eccleſiaſtici c.* 1.

Tres qualitates in Eccleſiaſtico requiſitæ. *Epiſt.* 46.

Cardinalis Petrus Damiani verba faciens de Eccleſiaſtico cui animarum cura demandata eſt, ait tres magnas eſſe qualitates: illam Paſtoris in Eccleſia particulari, cui præeſt: *Paſtor in Eccleſia*; alteram Judicis pro Tribunali, ex quo reddit oracula, ac ſententias veritatis; *Judex in Cathedra*; ac tertiam; *Interceſſor ad aram*, ubi fungitur officio mediatoris inter homines, & Deum. Sed quantum honoris illi hæ qualitates procurant, tantum oneris eidem imponunt. Prima requirit vitam Sanctam & irreprehenſibilem; altera ſcientiam, & experientiam; tertia caritatem, & zelum. Non eſt Paſtor in Eccleſia, quam regit, niſi ad pietatem erudiat, & ædificet populos, quibus propoſitus eſt: *Paſtor in Eccleſia ut ſancte erudiat*. Hoc primum illius officium eſt, quo ſatis digne perfungi non poteſt, niſi integer vitæ ſit, ſceleriſque purus. Judex non eſt in Cathedra, ac Tribunali pœnitentiæ, niſi *ut juſte definiat*; quod alterum ejus eſt officium, quo defungi non poteſt, niſi ea calleat, quæ ad ſuum pertinent miniſterium. Non eſt hominum mediator ad aras, niſi ut illos revocet ad Deum, & pro illis deprecetur: *Interceſſor, ut pie ſubveniat*. Hoc tertium eſt ejus officium, quod nequit adimplere niſi ſit caritate ſuccenſus, & ab omni cupiditate vacuus in vita ſua. *Sermones Morales Tomo* 2.

Eccleſiaſtic vita eſt ſervire proximo.

Principium eſt in dubium non revocandum, Eccleſiaſticum ſtatum ideo ingrediendum eſſe, ut proximo ſerviamus. Eccleſiaſticus iners, quam longiſſime ab hoc fine recedit; proximo enim minime ſerviens minime adimplet unum ex præcipuis officiis ſuis. Magnum Eccleſiaſtico crimen eſt eſſe inutilem proximo, & illi non deſervire: Eccleſiaſticus enim non eſt amplius juris ſui. Miſſus eſt a Deo, ut inſerviat Eccleſiæ. Oportet, ut Eccleſiaſticus ſe doctum præbeat & ſtudium amet, futurus utilis & ſibimet, & illis, quibus præeſt; & nihil contra veritatem aſſerimus, cum populi mala accepta referimus inſcitiæ docentium. Plures ſancti juſto zelo ſuccenſi, gemuerunt, laboraverunt, & pro virili parte nihil intentatum reliquerunt, ut Eccleſiaſticos ex tali ſopore excuterent; tamen non ideo prorſus ex Clero exterminata fuit ignorantia. Plures ignavi, ac penitus rudes per audaciam ſeſe inſerunt, & putant ſatis eſſe ſi bimeſtri ſpatio memoriam ſuam torquere paſſi ſunt, ut pares fierent animabus regundis, quo in officio doctiſſimus quiſque in inſignes errores labitur. Ut igitur ſit utilis populo, vacet opus eſt ſcientiæ, quæ ſtatus ſui propria eſt, non quidem per inanem curiſiotatem, & ut ſibi faciat ſatis, non ut hominum plauſus captet, non ut lucretur, ſed hac mente ſolum, ut J. C. gloriam, regnumque promoveat. Hoc ſemper ſpectare debet Eccleſiaſticus cupidus rite obeundi munus ſuum. *Lambert, Tractatu de ſcientia Eccleſiaſticorum*.

De Sacerdotibus. Quænam eſſe debeat ſanctitas eorum?

Fateor equidem me totis artubus contremiſcere, ubi ſtatus hujus magnitudinem mecum reputo, & video pleroſque procul abeſſe ab ea ſanctitate, quam illa requirit. Hac de re S. Franciſcus Aſſiſinas nonnihil ab Angelo admonitus, numquam ſe Sacerdotibus inſeri paſſus eſt. Magnus hic Sanctus vivens imago J. Chriſti crucifixi, reſpicit hanc dignitatem tanquam

quam Angelis ipſis reformidandam. Credere poſſumus Deum dignitatis hujus malle magnitudinem abſcondere, ne illi, quos vocat, non audeant ad illam accedere. Non ſecus ac e contra, ſecundum magni cujuſdam viri ſententiam, dæmon ad eam plures impellit, vel qui vocati non ſunt, vel quorum mores ſunt ab eadem abnormes. Et id ex nobis fremitum elicere debet; malus enim Sacerdos committet plures dividorum Myſteriorum profanationes uno tantum anno, ſæpe celebrans, quam ſæculares æquo liberiores, qui perraro in toto vitæ ſuæ ſpatio ad eadem accedunt. Sacerdotibus potiſſimum diriguntur illa Scripturæ verba: *Eſtote Sancti, quoniam ego ſanctus ſum*. (*Lev.* 11.44.) Divinum eorum miniſterium, propter quod infinitæ Majeſtati appropinquant, non ſinit in eis labem aliquam eſſe. Deſtruere debent peccata populorum, debent igitur immunes eſſe a peccatis. Sunt in loco Sancto Dominum precaturi, ut peccantium miſereatur: poſſunt ne hoc perfungi munere, cum ipſi peccent? Participes ſunt tituli, & officii mediatoris, quæ non niſi ad Dei Filium pertinent: Quænam eſſe debet eorum ſanctitas, ut hac mediatione fungantur? Magna quæritur perfectio in quotidie communicantibus: heu! Quænam eſſe par eſt in Sacerdotibus quotidie divinum offerentibus ſacrificium & accedentibus ad aras ad mulcendam iram Dei hoſtia immaculata, non pro ſuis ſolum, verum etiam pro totius Mundi ſceleribus? *Boudon in Chriſtiano incognito*.

Solitudo Eccleſiaſticis neceſſaria.

Si non vivis in ſolitudine, ſi in mundo evagaris, habebis nexus, & ſocietates, quæ tibi magis erunt periculoſæ, quam eas, quas cum tuis conſanguineis habere vales. Fovebis conſuetudinem cum hominibus plenis ſpiritu Mundi, quibus dominatur ambitio, qui ſunt voluptatis mancipia, quibus turpiſſimæ qualibet affectiones imperitant. Quænam hæc Eccleſiaſtico viro ſocietas eſt! Excæcari ne quiſquam poſſet, ita ut ſibi perſuadeat adeo periculoſa commercia nequaquam prorſus non Eccleſiaſticæ ſolum, verum etiam Chriſtianæ vitæ adverſari? Neceſſitudinem fovebis cum filiabus ſæculi, cum illis prolixas, inutileſque converſationes protrahes? & particeps fies voluptatum earum? certe jacturam facies nobilis, & neceſſariæ hujus gravitatis, ut fias homo facetus; & qui gloriæ ſibi vertit occupare inutilia momenta mulierum ſæculi. Poteſt ne deterius de gradu ſuo ſemet dejicere Eccleſiaſticus? Poteſt ne hanc tenere vitæ rationem adeo ſanctitati ſui ſtatus oppoſitam? *Lambert*.

De terrenarum rerum omniū abnegatione.

Ubi Eccleſiaſticus perituris, fluxiſque hujus Mundi rebus omnibus abrenuntiaverit, bona, quæ in illius manibus ſunt, diſpenſare tenetur juxta J. C. placita. Cum facile ſit ſe ipſum fallere, & ſibimet aſſentari putantes nobis eos ſenſus eſſe, qui in corde non ſunt, palam videmus, ubi arguuntur, nimis ſollicite vitæ hujus commoda conſectari, audacter reſpondere; cor ſuum ab illis longiſſime abhorrere. Huic innixi principio mollem vitam ducunt, ſibique perſuadent, ſe Filii Dei diſcipulos eſſe, neque exiſtimant ulla teneri rerum abnegatione, & audent affirmare ſe mundo eſſe mortuos. Facile eſt oſtendere illuſionem eorum eſſe graviſſimam. Cordis abrenuntiatio vera eſſe non poteſt, niſi Chriſtianus paratus ſit ad relinquenda omnia bona ſua, ſi J. Chriſtus juſſerit; atque inde inferendum eſt, omnes homines, qui non utuntur bonis Mundi hujus ſecundum Evangelii præcepta, nos mundanis rebus nuntium nequaquam miſiſſe, & non eſſe J. C. Diſcipulos. Altius in cordibus veſtris hanc veritatem imprimite, & quamprimum ſummo cum rubore veſtro intelligetis, vos Diſcipulos ejus non eſſe. Religionis inſtituta ſunt, Chriſtiano in humilitate vivendum eſſe; illi mortificatum vivendi genus eſſe amplectendum: ita illi aſſueſcendum, ut patiatur, inordinata deſideria inceſſanter illi eſſe oppugnanda, illum redigendum eſſe ad id, quod neceſſarium dumtaxat eſt, ut ſuppetat illi, unde pauperibus opituletur. Obſervate igitur quem in uſum bona veſtra erogetis, & videbitis vos illis abuſos fuiſſe ad irritandas cupiditates veſtras, ad fovendam ſuperbiam, & inflammandam cupiditatem, ad ſemovendas occaſiones omnes, quæ ſe ſe vobis offerunt ſuſtinendi, exercendique mortificationes. Videbitis voſmet ſuperfluis inſaniſque ſumptibus veſtris, adduxiſſe illuc, ubi pauperibus opem ferre nequeatis, & quod cum illis dividendum erat, ne vobis quidem ſufficere. Igitur bonis mundi hujus utimini ſecundum cordis veſtri deſideria; quid magis oppoſitum præcepto Salvatoris, quo perfecte, atque corde omnibus poſſeſſionibus veſtris abrenuntiare jubemini? *Lambert*.

De omnimoda abnegatione eorum omniū, quæ nobis ſunt antiquiſſima.

Præcipuum axioma de creatis rebus eſt, illas cum actione gratiarum a Dei manu recipere; illis uti juxta Domini mandata; eas non amare, niſi quatenus ad eum referunt; ita affectos eſſe, ut ſincere ab iis ſejungamur, ubi Deo placuerit ſeparationis hujus proferre ſententiam. Abraham amat filium ſuum ex benevolentia, qua Pater poteſt maxima. Abraham præſto eſt, ut ad nutum Dei immolet filium. Ecce regulam, & menſuram amoris, qui ſecundum Deum eſt, & cujus principium eſt Caritas. Audite S. Paulum Apoſtolum dicentem: *Tempus breve eſt . . . & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi*. (1. *Cor.* 7 3 . .) Quæ omnia oſtendunt omnimodam a Mundi hujus rebus ſeparationem, diſpoſitionem eſſe omnino in quolibet Chriſtiano requirendam. Egregiam rationem affert Apoſtolus: *Tempus breve eſt*. Igitur illud amandum unice, quod eſt æternum: *Præterit figura hujus mundi*: quæ igitur eſt inania diligere ea, quæ prætereunt, dum ille qui numquam præterit, nos ad ſe vocat, & expetit cor noſtrum a nobis? *Idem*.

De obligatione miniſtrorum Eccleſiæ.

Cum omnes illi, qui Apoſtolis ſuccedunt, vocentur non ſecus ac illi, lux Mundi; tenentur omnes pro virili parte, & talentorum ſuorum ratione, atque officio pro Eccleſia operari. Quid lux eſt, quæ non lucet? Quid miniſter inutilis, qui ſibi tantum vacat? Quid miniſter, qui nullo habet in diſcrimine utrum fideles verbi pane nutriantur, qui nihil confert in opus Dei, & ſalutem proximi, vel laboribus, vel curis, vel exemplo, vel eleemoſynis? Væ mihi, dicebat S. Paulus, niſi prædicavero Evangelium. (*Ad Cor.* 59.) Cum Apoſtolus idem deſcribit qualitates, quæ convenire debent Epiſcopo, & Sacerdoti; vult præſertim hunc parem eſſe docendo. Satis difficile eſt intelligere, quomodo homines decorati Sacerdotio J. C. incolumi conſcientia exiſtimare valeant ſe poſſe otiari, & tranquillos eſſe, dum populi Deum minime norunt, vel norunt ſolum, ut laceſſant; dum tot Chriſtiani æque rudes in iis, quæ ad Religionem pertinent, ac barbari, prima fidei ignorant rudimenta; dum tot alii panem petunt, & nemo eſt, qui illis panem frangere, ac illis poſſit diſtribuere. *Lambert, Tom.* 7.

Quomodo Eccleſiaſtici perfungi debeāt muneribus ſtatui ſuo inhærentibus.

Dei Miniſtri debent duplici hoc modo erudire. Annuntiare debent Evangelii dogmata, eaque fideliter obſervare. Nihil fortius verbo quod bono exemplo fulcitur. Ille, vita cujus abnormis eſt a veritatibus quas annuntiat, non ita facile auditores ſuos promovebit, & modicum afferet fructum. Longe aliter permoveri ſinit, cui perſuaſum eſt, docentem intrinſecus penetratum eſſe iis, quæ docet. Sanctitas morum annuntiantis Evangelium ſolidior eſt eloquentia, & habet, quidquid potentius eſt ad veritatem in hominum cordibus imprimendam. Cum igitur dicebat Chriſtus Appoſtolis ſuis, & omnibus, qui in eorum locum ſucceſſerunt, illos eſſe mundi lumen, innuebat illis & doctrinæ puritate, & morum ſanctitate Eccleſiam eſſe illuſtrandam: *Idem*.

De magnitudine Eccleſiaſticarum dignitatum, & ſtatus Sacerdotalis.

Nullum gravius onus eſt, quam eſſe ex eorum numero, quibus Dei Filius dixit: Vos eſtis Mundi lumen. Mirum eſt adeſſe mortales adeo præfidentes ſibi, ut ultro hanc ſarcinam ſubire velint. Sancti, qui cæleſtibus donis affluebant, & qui ſublimi in gradu virtutes omnes poſſidebant, contremuerunt: & ſæculi hujus homines, quos Deus donis ſuis cenſet indignos, qui nondum laboraverunt, ut chriſtianas virtutes adquirant, non contremiſcunt? Cur quæris Eccleſiaſticas dignitates? Namquid propter zelum gloriæ Dei? Hoc eſſe nequit, ſi tibi vel minima eſſet ſcintilla divini illius ignis, quo Sancti conflagrarunt, facile intelligeres opus eſſe, ut temet Jeſu Chriſti intentionibus conformes; ut temet indignum putes, qui inter Miniſtros illius annumereris; ut ſcias tuum non eſſe te proferre, & offerre. Scires a Jeſu Chriſto miniſtros ſuos quæri, & illum ſibi reſervaſſe jus illos vocandi. Qui Sacerdotii pondus agnoſcit, arripit fugam: beatum ſe putat, quod aliorum dirigendorum provincia ſibi demandata non fuerit. Si illam acceptat, non ſine trepidatione acceptat; & quia ſibi legem irrogavit in omnibus obediendi voluntati Dei. *Idem, Tomo* 7.

Qui Eccleſiaſticorum pleriqne requirant ambientes beneficia.

Sciſcitari per vos mihi liceat, quid quæritis cum ad curata beneficia concurritis. Quid non timetis aliorum curam ſuſcipere, cum adeo parum vobis ſit ſcientiæ, ut voſmet regere neſciatis? Video, quid vos agit. Honorem quæritis, temporalia quæritis emolumenta. Eheu! ſi ut olim, labor & gloria ſanguinem ſuum effundendi ſola eſſent privilegia Paſtoris dignitati inhærentia, quæ moderatio, quæ verecundia non eluceret in his ambitioſis, in his avidis Parentibus, qui tanta ſolicitudine Eccleſiaſticas ambiunt dignitates? Qui tenentur dare Paſtores Eccleſiæ non adeo importune ſollicitarentur, ut tot indignis conferrent beneficia, non aliud ſæpe meritum obtinentibus, quam indignam pertinaciam, qua illorum Collatores obſident. Hæc ergo abjicite præjudicia, ac ſerio attendite, ut omnia cognoſcatis Eccleſiaſticarum dignitatum onera. Si in cordibus veſtris poſſetis imprimere ſalutaria præcepta, quæ Sancti Patres tradiderunt, voſmet condemnaretis, & confiteremini, nullam eſſe temeritatem parem illi homini, qui amplectitur provinciam hanc, quin noverit, vel qui jam eruditus, credit ſibi ſatis eſſe virium ad ferendum onus æque grave, ad onus Paſtoris. *Idem*.

Quinam eſſe debeant Eccleſiaſtici ſpiritus.

Indigent Eccleſiaſtici præſtantiſſimis donis ad dignitatem ſuam, & ſtatus ſui difficultates ſuſtinendas. Opus eſt, ut non ſecus ac Apoſtoli habeant primitias Spiritus; opus eſt, ut Dei Spiritus illis uberius, quam ceteris Chriſtianis communicetur, non ſolum quod eorum functiones ſunt ſublimiores; ſed etiam quod per illos Fideles Dei Spiritum recipiant. Prudentia maxima neceſſaria eſt huic ſtatui, ubi ſit cum humilitate, & caritate conjuncta. Prudentia neceſſaria eſt ad malum a bono ſecernendum, verum a falſo, vel bonum ipſum ab eo, quod melius eſt. Humilitas ibi omnino eſt neceſſaria ut noſmet crebro colligamus in meditatione nihili noſtri, & hoc pacto mereamur Spiritum Domini, qui nos de officiis noſtris erudiat, & ardorem noſtrum inſtauret; & fruſtra Eccleſiaſticus Director, Paſtor ſemet paſcerent verbis illis S. Petri, Gens ſancta, Regale Sacerdotium, Genus electum: quæ magnifica nomina, licet vera, ſine humilitate ad eorum damnationem conferrent. Eccleſiaſticus inflammatus eſſe debet ardenti Caritate, ut præſto ſit opem ferendo proximo in omnibus ejus ſeu corporis, ſeu ſpiritualibus neceſſitatibus, & dicere poſſumus; ſi Eliſeus in heredi-

reditatem obtinuit duplicem Eliæ Prophetæ Spiritum, hunc triplicem eſſe Spiritum Salvatoris. *Auctor recens.*

De integritate in Eccleſiaſtico requiſita.

Generoſus Miniſter primum operam navat, ut ſe ab omni avaritiæ ſuſpicione præbeat immunem. Illi perſuaſum eſſe debet turpem ſuſpicionem hanc efficere poſſe, ut ille omnem laborum ſuorum fructum amittat, & non ſolum ſuſpicionem hanc evitare debet, ſed re ipſa ab omni cupiditate abhorrere. Debet ille potius in extrema paupertate vivere, quam polluere honorem miniſterii ſui abjecta, & ſordida affectione. Dare lubentius debet, quam accipere, ſecundum Salvatoris conſilium. Cum recipit id, quod Eccleſia patitur illum recipere, hoc illi faciendum eſt tanta integritate, ut omnibus perſuaſum ſit, illum ſecundum S. Pauli verbum, animam quidem, & fidelium ſalutem inquirere, non autem eorum divitias. O nos beatos, ſi tali pacto eſſemus affecti erga mundi hujus bona, ut Eugenius Pontifex cui S. Bernardus ampliſſimum hoc perhibet teſtimonium: *Nihil eſt quod de avaritia dicam; audio enim te non pluris pecunias facere, quam paleas.* Hic nobis habendus eſt bonorum Mundi hujus conceptus. Bona hæc caduca ſunt, indigna amore, & adhæſione Fidelis, Eccleſiaſtici vero indigniſſima. *Lambert, Tomo 1.*

Superbia e regione oppoſita eſt Eccleſiaſtico.

Salvatoris verba ad Phariſæos ambientes primos recubitus in conviviis, primaſque Cathedras in Synagogis, in publicis plateis ſalutari cupientes, & magiſtros numcupari, ſatis oſtendunt, miſeriis illis ingentem fuiſſe de ſemetipſis opinionem; quod ſane in J. C. miniſtro ferendum non eſt. Cum enim cupis hunc locum, qui te ſuper alios extollit, ac te eorum regimini præficit, vel credis omnia tibi ineſſe talenta ad provinciam hanc ſuſtinendam neceſſaria, vel dubitas. Si dubitas, nulla temeritas eſt tuæ par, & magis damnanda. Sin putas te parem eſſe ſuſtinendo munus illud, quod cupis, bona, quam de te foves, opinio, te præbet indignum; ſuperbia quippe, cujus reus es, ſimul conciliari non poteſt cum dignitate Miniſtri J. C.. Sin autem vere aptus es ad onus ferendum, quod optas, tunc eodem te dignum præbebis, ſi nihil feſtinanter egeris, ſi ad hoc præſtolatus fueris imperio divinæ Providentiæ, quæ non deerit, quominus tibi locum præbeat exercendi talenta tua ad majorem Dei gloriam, ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem, & ad animarum ſalutem. *Lambert, Tomo 1.*

Contra aviditatem beneficiorum.

Quot ſunt quos, beneficiorum ambitus indignos efficiunt ſtatu Eccleſiaſtico! Plurimi enim inveniuntur, qui contenti parte ſua pacate otiantur in ea conditione, ubi Divina Providentia illos conſtituit; vel potius quid vulgatius, quam videre homines, ſemper ſollicitos, & numquam ſua ſorte contentos, & quos juge habendi urget deſiderium? Qui beneficiis auctus non eſt, intelligere nequit, felicitatem eſſe nulla premi adminiſtratione difficili, & periculoſa. Inceſſanter laborat, neque ullam ſibi requiem permitit; nihilque relinquit intentatum, ut id obtineat, quod ferventer exoptat. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Beneficium petis. Cur petis? Ut commodam vitam ducas, ut locum habeas unde eniteſcas. Hæ cauſſæ ſunt illis oppoſitæ, propter quas ſtatus Eccleſiaſticus ingrediendus eſt. Si beneficium quod cupis, cum animarum cura conjunctum eſt, quot exeris conatus, ut illud aſſequare, totidem ſunt documenta indignitatis tuæ. Qui pingue obtinet beneficium, alterum longe opulentius ambit. Quicumque deſideriis anguntur, ſciunt ne quæ cupiunt? Norunt ne inconſtantiam, & injuſtitiam ſollicitudinum ſuarum? Si curatum poſtulas beneficium, majus illo, quod obtines, & quod onus eſt viribus tuis non ferendum, alterum gravius quæris cujus pondere opprimaris. Et ſi te Deus voti reum conſtituit, non ne tibi metuendum eſt, ut Deus hac aviditate irritatus neceſſarias tibi deneget gratias ad tantum pondus ferendum, & ut te prorſus derelinquat? *Lambert, Tomo 1.*

Qua mente Eccleſiaſticus ſtatus ingrediendus ſit.

Paſſim inveniuntur in mundo mortales, qui ſtatum amplecti cupiunt, quia ſibi commodus eſt, ſed qui illius officia obire nolunt, quia illa obituri vim ſibi debent inferre; quod hominibus jugum videtur non ferendum. Ita plurimi Eccleſiaſticum ſtatum amplectuntur, ſed quid illi ſperant, cum ſanctam hanc conditionem amplectuntur? Quidquid hoc in ſtatu commodum eſt, Dignitas, gradus, bona temporalia, quies, tranquillitas; hæc omnia apud illos magnas habent illecebras, & hoc illud unum eſt, quod conſiderant. Officia vero ſtatus Eccleſiaſtici pauci norunt, vel ſi quis novit, non ſatis habet zeli, ut omnibus illis ſatisfaciat. Sed quid ſibi vult Eccleſiaſticum ſtatum amplecti, & officiis illius non perfungi? Nonne hoc vivere eſt in jugi rebellione? Nonne eſt irritare Deum? Profecto ſi liqueret quantum horreat Deus Eccleſiaſticos, qui ſua obire negligunt miniſteria: plurimos ſane metus ſubeundi teterrima iræ divinæ ſupplicia deterret. *Idem.*

De Sacerdotii ſupereminentia.

Sacerdotis dignitas ab eo, qui eadem decoratus eſt, exigit, ut ſtet in Monte tanquam alter Moyſes, donec populus in ima valle ſubſiſtit. Videlicet exigit, ut Sacerdotes prorſus ſecreti ſint a populo per vitæ ſanctitatem, & morum gravitatem. Sacerdotis dignitas pondus eſt; magna ſecum trahit munera. Qui hac inſignitus eſt, ſibimet debet invigilare; efficere debet, ut vitæ ſanctitas dignitatis ſuæ ſublimitati reſpondeat. Quomodo non populus Sacerdotem revereatur, in quo nihil videt, quod illi reverentiam conciliet? Ergo ſuarum nitore virtutum Sacerdos præſertim ſupra ceteros, debet eniteſcere: Magnum quidem Paſtori probrum eſt, videre in grege ſuo oves diligentiores ſe, majori zelo ſucceſas, ac magis ſuis officiis attentas. *Lambert, Tomo 1.*

De Sacerdotibus indignis miniſterio ſuo.

Miniſtri Dei viventis, Sacerdotes Domini, qui ad Aram tales videntur tantum ob ſacros ornatus, quibus amicti fulgent; & qui videntur offerre ſanctiſſimum, atque auguſtiſſimum omnium ſacrificiorum adeo modica pietate, & ſæpe etiam ſine eo oris habitu, qui Chriſtianum virum decet: Hi Sacerdotes adeo parum a populo diſſimiles moribus, & ſæpe etiam minus de ſacris myſteriis noſtris ſolliciti, quam populus: Hi inquam ſciunt cujus pretii ſit victima illa quam offerunt, & credere profiteatur pretioſam hanc victimam eſſe Jeſum C., nulla profecto videntur affecti reverentia Jeſu Chriſti, ubi Sanctum hoc celebrant Sacrificium præcipiti feſtinatione, quæ ſcandalum creat. Quam citius fieri poteſt, ea ſe re expediunt, quaſi eam faſtidirent: talis victima illi ne gravis eſt, & moleſta? *P. Croiſet in ſpirituali receſſu pro unico ſingulorum menſium die, Tom. 1.*

Levitæ ſejuncti erant a populo.

Cum quæſitum fuit, quinam a Deo electi fuiſſent & ad Levitarum gradum ſublati, eoſque declaraſſet Deus, en quid dixerit illis, qui per ambitum ſe ſe cupiebant attollere ad gradum, & dignitatem Sacerdotum Domini: Deus Iſrael ſecrevit hos ab omni populo; vos ſibi adjunxit, ut ſerviatis ſibi in cultu Tabernaculi ſui, & ſitis ejus Miniſtri. Hinc Eccleſiaſticus eſſe debet a mundo quidem ſeparatus; Deo autem adhærere debet. Non ſumus amplius de Mundo: inde nos retraxit Dei Filius; ultro illi nuntium miſimus, cum ordinibus initiati ſummus. Ordinatio noſtra myſterium eſt conſecrationis ſimul & ſeparationis; nos ibi recipimus characterem, qui nos Deo conſecrat; divortium facimus, quo a Mundo ſeparamur; cumque character, quem a Deo recipimus nequeat deleri, divortium quod cum mundo facimus, nullum eſt finem habiturum. *Recens Auctor.*

A Deo ad Sacerdotiũ vocandi ſumus.

Exemplum Aaron palam probat, Dei eſſe vocare ad Eccleſiaſticum ſtatum, & neminem ſe ſe ingerere debere in Sacerdotium, & hujus ſtatus miniſterium ſine peculiari vocatione, quam nobis oſtendit Deus. Primus hic antiquæ legis Sacerdos conſecratus fuit non ſine explicito Dei imperio: Deus enim Moyſi dixit: (*Levit. 8.*) Sume Aaronem, & filios ejus, & indues illos veſtibus Sacerdotalibus, & oleum ſacrum ſuper illorum caput effunde. En igitur Lex Generalis, a qua nemo diſpenſari poteſt, quo eodem exemplo utitur S. Paulus ad oſtendendam hujus vocationis neceſſitatem: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* (*Ad Hebr. 5.*) *Recens Auctor.*

Sacerdotũ peccata graviora ſunt quã aliorũ.

In Levitici libro ſcriptum eſt, quod cum Deus in lege veteri inſtituiſſet diverſa ſacrificiorum genera pro variis generibus peccatorum; unum addidiſſe, quod publica appellabatur victima pro peccatis totius populi generatim; & quod animadvertendum eſt, illud Sacrificium pro populi totius peccatis inſtitutum pro uno unius Sacerdotis peccato eſſe offerendum. Animadverſio, quæ terrorem incutere debet illis, qui in hoc ſtatu impliciti ſunt, videndo eorum peccata in Dei judicio eſſe tantum enormia, ut eadem in ſtatera unum unius Sacerdotis peccatum omnia populi peccata, & una ejuſdem prævaricatio omnes infinitæ multitudinis prævaricationes exæquet. *Idem.*

Sanctitas, quæ in Sacerdotibus & miniſtris Domini requiritur.

Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei. 1. Machab. 4. Optandum eſſet, ut Sacerdotes poteſtatem habentes moraliter producendi in animabus, & realiter in ara eumdem Jeſum Chriſtum, quem Sanctiſſima Virgo creatarum rerum omnium puriſſima peperit in tempore, & quem Pater Cæleſtis, qui eadem puritas eſt, genuit ab æterno, ſimilem, & prorſus Cæleſtem haberent puritatem. Verum ſi hoc in eorum non eſt poteſtate, ſaltem ſimiles eſſe debent Sacerdotibus, quos olim elegit Judas Machabæus, homines ſine macula, Dei legem amantes, deferentes illam in cordibus ſuis, eamque religioſe obſervantes, qui ne tranſverſum quidem unguem ab ea recedant, nihilque antiquius habeant quam illam caſte, integreque ſervare: *Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei, Idem.*

Prava Eccleſiaſticorũ exempla corrumpunt populi mores.

Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates ſacerdotum ejus erraverunt cæci in plateis. Thren. 4. Populus, ait Jeremias, in publicis plateis erravit; lapſus eſt in viis ſtratis, directiſque; abdidit ſe in ea ſcelera, in quæ incidere minime poterat; excæcatus eſt; nihil videt amplius vel in articulis fidei, de quibus numquam dubitaverat, neque in iis quæ pertinent ad morum diſciplinam: *Erraverunt cæci in plateis.* Et quorſum hoc? *Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus.* Peccata Prophetarum, & ſcandala Sacerdotum populum in omnia mala hæc impulerunt. *Auctor Recens.*

Sacerdotes in noviſſimo judicio rationẽ reddituri ſunt de ſcandalis, quæ dederunt.

Audite hoc Sacerdotes, & attendite, quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum ſuper Thabor. Oſeas Propheta ait, (*cap. 5.*) Sacerdotes audite quæ dicturus ſum, eaque attentius meditamini: *Quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum ſuper Thabor.* Vos eſtis ſcandalum populo Dei; Expoſiti eſtis in Thabor, & in Monte Sancto, in elatione, & Sacerdotali dignitate, tanquam retia expanſa, ad involvendos fideles, ad illos in peccatum, erroremque pertrahendos, ut illos ibi retineatis, atque perdatis; ex hac die vos Deus ad univerſale vocat judicium, & vos expectat. Propter vos, & potiſſimum propter vos terribilem illam præparat diem: *Vobis judicium eſt. Idem.*

In Sacerdotibus requiritur Sanctitas.

Conſecrati ſunt Sacerdotes Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt; ſint ergo Sancti, quia & ego Sanctus ſum Dominus, qui ſanctifico eos. Levit. 27. Singula hæc verba notanda ſunt,

hæc

hæc autem potiſſimum: *Conſecrati ſunt Deo ſuo.* Imperat Deus Sacerdotibus, ut Sancti ſint, quia illi conſecrati ſunt. Quod Deo ſacrum eſt, ſanctum eſt; non debet ultra in ſequiorem uſum converti; immo neque in communes Mundi uſus convertendum eſt; immo inutile non eſſe debet; hoc utendum eſt; ſed non niſi in honorem Dei, & uſus ſanctos. Conſecrati eſſe debetis Deo per ordinationem veſtram; ergo Sancti eſſe debetis; non debetis voſmet in uſus profanos impendere, neque mentibus, cordibus, lingua, manibus uti debetis in re aliqua, quæ ſancta non ſit. Sanctæ eſſe debent cogitationes veſtræ, affectus, verba, facta. Omnia redolere debent Sanctitatem, eamque mundo inſpirare. *Idem.*

Eccleſiaſtici mundani inutiliter Deo, & mũdo ſervire volunt.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Matth. 6. Licet hæc verba ad Chriſtianos omnes generatim pertineant; dici tamen poteſt peculiariter ad Eccleſiaſticos referri, qui quatenus Miniſtri Domini illius ſervituti ſpeciatim devoti ſunt. Quamobrem cum in mundi commercium ingrediuntur, & vivunt non ſecus ac illi, qui mundo ſeſe devoverunt, de his dici poteſt, quod duobus ſerviant dominis, quorum alter eos abjicit, & ſuos eſſe negat, alter vero contemnit, & horret, itaut neutri ſerviant. Et ſane fidei ne conſonum eſt ſimul conciliari poſſe ſpiritum ſæculi, & ſpiritum Sacerdotii? Poſſe aliquem eſſe mundi mancipium, & Jeſu C. miniſtrum? Quinam duobus dominis adeo ſibi invicem oppoſitis ſervire poteſt? Quis poteſt ſimul bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum? Quis ſimul particeps eſſe menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum, ut loquitur Sanctus Paulus? (*1. ad Cor. 10.*) *Auctor Recens.*

Eccleſiaſtici incumbere debent in divinæ legis ſtudium.

Primum Eccleſiaſtici officium eſt, ſeriam dare operam ſtudio divinæ legis tam pro ſe, ut de muneribus ſuis erudiatur, quam pro aliis, ut illis erudiendis ſe parem exhibeat: nam ex ignorantia Eccleſiaſtici duo ingentia mala procedunt, ipſorum nequitia, & nequitia populorum, quos ineruditos relinquit. Profecto omnia peccata, quæ dominantur in terris, proficiſcuntur ex ignorantia quæ habetur de Deo, legum cujus ſtudium negligitur. Ita populi eam non audientes, & Eccleſiaſtici, quorum eſt eos docere, docendo cum pares non ſint, vel ſint alienis curis impliciti, utrique pereunt vitam abnormem ducentes. Hi quidem errant in viis ſalutis, quia duces non habent: alii vero quia cæci ſunt duces cæcorum juxta illud Evangelii: *Cæci ſunt, & duces cæcorum,* (*Matth. 15.*) *Idem.*

Semper colendi & in honore habendi ſunt Sacerdotes licet vitioſi.

Magnum in Eccleſia malum eſt, cum Eccleſiaſtici, præſertim vero Sacerdotes, vitam ducunt flagitioſam, quæ non numquam ſcandalo eſt fidelibus. Frequens hæc auditur querela, ipſos contumelia afficere characterem ſuum moribus pravis. Hoc in loco illorum flagitia conſecrare non fert animus, immo neque excuſare; ſed Doctores omnes aſſerunt, illis ſemper honorem eſſe deferendum. Et ratio conſtat; quia Sacerdotum crimina nihil officiunt magnitudini characteris illorum; injuſtitiæ ipſorum nullam eis adimunt facultatem valide adminiſtrandi Sacramenta, quæ ſemper valide adminiſtrantur, quocumque ſcelere fœdata ſit eorum conſcientia, quidquid ſentiant hæretici nonnulli, quos damnavit Eccleſia. Deus non adnectit eorum poteſtatem, atque auctoritatem vitæ ſanctitati, ex quo ingens rerum exiſteret perturbatio; non enim poſſumus ſemper bonos a malis ſecernere; ſed voluit poteſtatem hanc ſejungi non poſſe ab illorum charactere, & officii ipſorum juriſdictione. *Auctor Recens.*

Sacerdotum peccata graviora ſunt, quam ſæcularium, & quare.

Peccata mutant ſpeciem ſecundum varietatem objecti, vel principii. Ita irriſio facta contra honorem proximi, licet in re gravi, retinet nomen irriſionis cum obtrectatione conjunctæ: ſed irriſio contra reverentiam Deo debitam rerum ſanctarum, blaſphemia eſt. Hoc ipſum dicendum eſt ratione principii. Homo, qui ratione ſtatus ſui, profeſſionis, vel characteris tenetur bene vivere, committit majus peccatum, ubi polluit characterem ſuum, & dedecorat profeſſionem ſuam, quomodo faciunt Sacerdotes, & Eccleſiaſtici, & hoc in ſenſu S. Bernardus ait, *Nugæ in ore laici, ſunt nugæ; in ore Sacerdotis, blaſphemia. Idem.*

Eccleſiaſtici ſe negotiis mundi implicare non debent.

Quemadmodum ſtatus hic a laicorum ſtatu diſtinctus peculiari conſecratione Eccleſiaſticos adigit ut ſerviant Deo, & opem ferant animabus, & pauperibus, ab omnibus ſæcularibus curis illis eſt abſtinendum, teſte S. Paulo, *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* (*2. Tim. 2.*) Hoc eſt, debent procul eſſe ab impedimentis ſæculi, expediti a curis familiæ, fugere mundi oblectamenta, & quidquid illos amovere poteſt a miniſterio ſuo, & functionibus propriis ſtatus ſui. Hac de cauſſa Concilia illis mercaturam interdicunt; & ſecundum Sancti Joannis Chryſoſtomi interpretationem, aliquid emere, illud carius vendituros; profiteri artem mecanicam, quod tamen facere poſſunt ſolatii cauſſa, vel ad otium fallendum. Hac de cauſſa Sancti Canones illis vetant theatrorum ſpectacula, choreas, & ipſam etiam venationem, ubi fiat cum canibus, equis, & apparatu ad hanc exercendam neceſſario; non quod Concilia ignorarent, venatum per ſe vacare culpa, ſed quia dedecet ſtatum divino cultui devotum, & qui ſimul eſſe non poteſt cum evagatione mentis, quam hoc pareret exercitium. *Idem.*

De bonis Eccleſiaſticis.

Eccleſiaſtica bona vulgo fidelium vota appellantur, pretium peccatorum, patrimonium pauperum. Sunt vota fidelium, quia fideles obtulerunt Eccleſiæ bona hæc tanquam ſanctam oblationem ad promerendas Cæli benedictiones. Sunt pretium peccatorum, quippe crediderunt ſe bonorum ſuorum heredem ſcribendo Eccleſiam, facilius conſecuturos miſericordiam, & veniam peccatorum ſuorum: Sunt patrimonium pauperum; voluerunt quippe bona hæc in pauperum commodum eſſe impendenda; & quia Eccleſiaſtica bona, ſunt pauperum patrimonia, hinc ſequitur, Eccleſiaſtico viro ſemper eſſe parcendum, ac a ſumptibus temperandum, ut pauperibus conferre valeat quod pertinet ad illos. Sequitur præterea, quod Eccleſiaſtica diſſipare bona, eſt diſſipare patrimonium pauperum; & vehementer errant qui putant ſe poſſe illa ſecundum cordis ſui deſideria diſpenſare. *Idem.*

Mundi querela de pravo uſu redituum Eccleſiaſticorum; & de electione eorum, qui iiſdem ſunt indigni.

Auribus quotidie accidit ſæcularium querela de pravo redituum Eccleſiaſticorum uſu. Nunquam ſunt eloquentiores, quam cum luxum, mollemque Eccleſiaſticorum vitam exaggerant. Haud equidem paratus ſum, ut probare velim, quod jure damnatur: dico ſolum, non ſecus ac ſæculares de ſacrorum reddituum uſu conqueruntur, ita illis cavendum eſſe ne ſacros hos redditus ponant in manibus eorum, a quibus diſſipantur. Pater Beneficium ambit, ac ſollicitat pro filio, & filius hic erit ex numero infidelium œconomorum, qui diſſipant opes Eccleſiæ. Homo hic quin eligat digniorem, & eum, qui par ſit explendis neceſſariis hujus beneficii muneribus, humanis rationibus actus, animarum curam committet lupis, qui in ovile ingreſſuri ſunt, ut oves diſperdant? Quis ergo inficias ire poteſt, chriſtianorum omnium intereſſe cognoſcere, quid ſit beneficium, cui conferendum ſit, & in quos uſus Sancti redditus iſti ſint convertendi? En quid dicere debent Chriſtiani. Revereri Eccleſiaſticum characterem, non introducere in Eccleſiam indignos miniſtros, non procurare beneficia iis, qui Eccleſiæ ſcandalum ingerunt propter reddituum ſacrorum abuſum. Ex monito libri, cui titulus: *Sermones Lambert de vita Eccleſiaſtica, Tomo 1.*

S. Paulus reſpiciebat ſe tanquam ſervum omnium fidelium.

Noſmet conſideramus tanquam ſervos veſtros, S. Paulus ait. Hæc vera eſt idea miniſterii Eccleſiaſtici. Miniſterium eſt, quod nos ſubjicit, ut proximo deſerviamus, & noſmet fratrum noſtrorum ſervos cogitemus. Sed ne putemus noſtro hoc miniſterio nos dedecorari. Cum fratribus noſtris ſervimus, ſervimus Jeſu Chriſto. Ipſe etiam Jeſus Chriſtus vitam ſuam mortalium ſervitio conſecravit. Servitis Jeſu Chriſto, S. Auguſtinus inquit, eo modo, qui acceptus eſt illi, cum ſervitis illis omnibus, cujus ſervum ſe eſſe profeſſus eſt. Idem S. Paulus alibi dicit: *Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Evangelicum miniſterium nos facit fratribus noſtris debitores. Quid debemus illis? curas, labores, tempus. Hæc omnia noſtra non ſunt; bonum eſt, quod ad illos pertinet, & quo ad eorum utilitatem nobis utendum eſt. *Idem.*

Sententia Epiſcoporũ, quæ Eccleſiaſticis aperit eorum officia.

En præclaram, inſignemque ſententiam ab Epiſcopis expreſſam, & altius in omnium Eccleſiaſticorum cordibus imprimendam. Nos conſecrati ſumus Epiſcopi, ut pupulo Chriſtiano ſerviamus. Hoc ipſum dico de omnibus Sacerdotibus, Paſtoribus, Eccleſiaſticis. Quicumque Eccleſiaſticus factus eſt, Deo in hoc ſtatu conſecratus eſt, ut ſerviat proximo ſuo. Uſquequo Apoſtoli, qui nobis velut exemplaria propoſiti ſunt, pertulerunt curam hanc, quam character noſter nos habere cogit pro fratribus noſtris? S. Paulus aſſerit, ſe premi *inſtantia quotidiana, ſolicitudine omnium Eccleſiarum.* (*2 Cor. 11.28.*) Sanctus hic Apoſtolus omnibus fratrum ſuorum neceſſitatibus attentus eſt, ut infirmetur, infirmos roboraturus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* (*1. Cor. 3.2.*) Nullum in Eccleſia ſuboritur ſcandalum, quod illum intus in corde non torqueat. Fortes ab infirmis ſecernit, ut aliis quidem lac, aliis ſolidas carnes præbeat. Jugiter fert in *corde ſuo* (*2. Cor. 7.3.*) fideles, quos genuit in Jeſu Chriſto. Amor illius comparabilis eſt cum amore matris nutrientis, & diligentis filios ſuos. Sed comparatio hæc non eſt ſatis valida. (*1. Thren. 7.*) Tantus eſt amor illius, ut poſtquam Evangelium fidelibus prædicaviſſet, illis etiam vitam ſuam impendere optaret. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica, Tomo 1.*

Eccleſiaſticis eadem incumbunt onera, quæ paſtoribus.

Nullus eſt Eccleſiaſticus, cui aliquo in ſenſu non incumbant eadem onera, quæ Paſtoribus. Olim nullus conſecrabatur Sacerdos, qui non affigeretur Eccleſiæ alicui ad ibi exercendas functiones miniſterii ſui. Nemo inutilis otiabatur, omnes de proximo benemerebantur. Hic primus erat ordo, ideoque magis uniformis intentionibus Jeſu Chriſti. Si Eccleſiaſtica diſciplina immutata eſt, Spiritus Jeſu Chriſti ſemper eſt idem. Vult, omnes Eccleſiaſticos ſemet conſiderare tanquam debitores fratribus ſuis. Vos eſtis Sacerdotes, ergo inſigniti eſtis eo charactere, quem Jeſus Chriſtus inſtituit, ut qui eodem inſignitus eſſet, ſaluti proximi vacaret. Creditiſne vos impune ordinem Dei ſubvertere poſſe? Creditiſne vos ibi poſſe vitam ab omni cura vacuam ducere, donec eo eſtis in loco, in quo nemo poſitus eſt, niſi ut proximi ſaluti ſeſe devoveat? *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Non eſtis quidem Paſtores, ſed eumdem habetis characterem ac Paſtores; ideoque eorumdem officiorum participes. Dei, & Eccleſiæ ordo eſt, characterem hunc illis tantum committi, qui ad laborandum ſunt diſpoſiti. Verum eſt Paſtoris qualitatem nova adjicere officia, & peculiares curas flagitare; ſed contendere, eo quod Paſtor non es, te ab omni cura eſſe expeditum, ac tranquille frui poſſe quietis dulcedine; hoc eſt abuti Sacerdotio; hoc eſt ignorare omnino illius inſtitutionem, naturam, atque præſtantiam; hoc eſt velle perturbare ordinem, qui conſtans uſque in ſæculorum finem debet permanere; quoniam Deus illum conſtituit. *Ibidem.*

Quo-

Quo oculo Deus inertes Eccleſiaſticos reſpiciat.

Quonam oculo putatiſne Deum reſpicere inertes Eccleſiaſticos, qui proximo ſuo non præſtant eam curam, quam debent? Audiſtis, proculdubio fici Parabolam, quæ in Evangelio narratur. Qui ficum plantaverat, venit in ea fructum quæſiturus; cumque in ea nullum invenerit, Dominus illam jubet ſuccidi: *Ut quid etiam terram occupat?* (*Luc.* 13. 7.) Ita Deus reſpicit inertes Eccleſiaſticos; conſiderat illos tanquam homines non obeuntes munus illud, cui deſtinati ſunt; ideoque ſuccidendos, & in ignem mittendos. *Idem.*

Tria, quæ Eccleſiaſtico facienda ſunt erga populum.

Tria facere debet Eccleſiaſticus erga populum. Vitam innocentem, & irreprehenſibilem vivere debet, ut illum exemplorum ſanctitate ædificet; hoc primum eſt. Opus eſt, ut ſe doctum, & ad illum erudiendum aptum efficiat; hoc alterum; ut ſe præbeat vigilantem, & minime cupidum, ut per caritatem, & zelum illum perducat ad Deum; hoc tertium eſt. Incipiendum eſt a Sanctitate, ex quo ad miniſterium vocatus eſt, & altaribus inſerviendo deſtinatus, inde ex ſtatu ſuo habere debet Dominum, in partem ſuam, S. Hieronymus inquit; ideoque debet ſemet ſeparare non ſolum a noxiis mundi oblectamentis, ſed ab iis etiam, quæ vel minimam habent peccati ſuſpicionem; ſe totum devovere profeſſioni, quam amplectitur, & ſemet exercere in praxi virtutum, quarum indiget ad obeundum rite munus ſuum. Heu! quibus non indiget virtutibus? Dicere ſatis ſit, id quod alios in aliis conditionibus ſalvos faceret, ſolum ad illius ſalutem ſatis non eſſe; illi adlaborandum eſſe ad propriam, & fratrum ſuorum ſanctificationem; omnibus chriſtianæ pietatis officiis vacandum; & negligere ſalutem eorum qui eidem crediti ſunt; idem eſſe ex dimidiata dumtaxat parte velle ſalvari; vel ut melius dicam, ſalvari nolle; & ut verbo me expediam, ut ſibi æquam ſanctitatis ſuæ ideam concipiat, illam regere debet ſecundum vocationem, & gratias eidem inhærentes, *Idem*, *Tomo* 3.

De vocatione interiori, atque exteriori Eccleſiaſtici.

Diſtinguenda eſt interna vocatio ab externa. Qui recipit ordinationem ſecundum Eccleſiæ Canones, & qui ut illuc perveniat, nulla utitur fraude, vel via prava, exteriorem habet vocationem; miſſionem habet ſufficientem quoad homines, cujus vi poteſt ducere, & docere fideles. Qui per avaritiam, & ambitum, ſine virtute, ſine capitu petiit ordinem, beneficium, eccleſiaſticam dignitatem, non habet vocationem interiorem; hoc eſt non vocatur a Deo; & licet homines, nihil habeant, quod reprehendant in miſſione exteriori, quam legitimam eſſe ſuppono; Deus tamen damnabit illum tanquam hominem, qui non miſſus vadit, qui injuſſus loqui, loquitur; & quamvis diceret veritatem, eam dicere ſolum pro ſalute eorum qui ſe ſe illi ſubjicerent; cum illi non aliud expectandum ſit niſi æquiſſima pœna uſurpationis pravæ, qua ſe illi immiſcuit miniſterio, quod ipſi non credidit Deus. *Anni Chriſtiani*, *Tomo* 8.

Sanctus hic prætulit ſtatum Eccleſiaſticũ arti militari & alii cuilibet ſtatui.

Ex quo S. N. per ætatem ſibi in mundo ſtatum eligere potuit, omnes ſibi patere vidit aditus ad gloriam, & honorem. Generis ſui ratio eidem militiam ſequi ſuadebat, & animus ejus pollicebatur fore ut nomini ſuo magnam celebritatem compararet; & ſi timuiſſet audacem hanc militiæ ingrediendæ rationem ſequi, ſpes non deerat, ut in Eccleſiaſtico ſtatu floreret, ubi inſtitutio, & ſcientiæ, quas adeptus erat, ſperandi locum præbebant, nihil futurum ſupra meritum ejus ex iis, quæ favor, & virtus illi hoc in genere poterant promereri. *Sermo P. Aurelianenſis*, *Tomo* 2.

Sanctus N. omnino a mundo ſeceſſit.

Talis erat Mundus Sancto huic, cum illum reliquit. Aliane requiruntur argumenta, quibus oſtendamus receſſum illius fuiſſe effectum prudentiæ, & ſupernaturalis illius ſapientiæ, quæ ea cogitans, quæ rationem, & cupiditatem humanam excedunt, ſuppeditat cognitiones ſuperiores, quas ſanguis, & caro non ſuggerunt? Nemo umquam potiori jure, quam ille dicere potuit cum Apoſtolo: *Hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra*: ſe non alio armorum genere uſurum fuiſſe ad Mundum vincendum, quam fide. Non Philoſophia neceſſaria, non cupiditas indignabunda, non irritata patientia exitum hunc illi ſuaſit. Sæculum per ſe nihil contulit ad hoc divortium. Fruſtra ſe illi oſtendit ex ea parte, qua placere novit; fruſtra oculis ejus oſtentavit fulgorem gloriæ & honorum, illecebras opum, & voluptatum, ſuavitatem neceſſitudinum, & ſocietatum; ad aſpectum fallacium illiciorum ſe fide ſua ſatis illuminatum eſſe dicebat: ita eſt, mundana gloria, nites quidem; ſed hic nitor celeriter deficit in umbras triſtis, æternæque oblivionis. Ita eſt, voluptates, ſenſus palpatis; ſed ſomniorum inſtar evaneſcitis, ita eſt, divites, multis fruimini commodis; ſed cum his vos efferri non videmus; ita eſt, commercia, molleſque neceſſitudines, ſcio, vos a mundi ſectatoribus haberi inter maxima vitæ oblectamenta; ſed vel per mobilitatem definitis, vel denique ſemper per mortem; honores, opes, voluptates, commercia, humanæ amicitiæ quam periculoſæ eſtis ſaluti! & cupiditates, quæ vos concomitantur, quam multos in præceps ferunt! *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Non fuit ex hoc numero S. N. Mundi mendacium cognoſcere, animumque ab eodem divellere, unum, idemque fuit; & velox ſeparatio, quæ ſubſecuta eſt, ejuſdem ſinceritatem oſtendit. Sanctus enim hic non fuit ex illis, qui arbitrantur, juventutem virtutis eſſe vacuam & qui illam reſpiciunt tanquam ætatem, quam per neceſſariam indulgentiam Deus tradit cupiditatibus. Æquioribus inſtitutis imbutus Sanctus N. ſuam reſpexit adoleſcentiam, tanquam optimam ſacrificii ſui partem, & credidiſſet ſe labi in eorum crimen, quibus Scriptura exprobrat rapinam in holocauſto, ſi vitam ſuam devovens Deo, ſibi florem reſervaſſet, ut illi vitiorum, & concupiſcentiæ dumtaxat reliquias daret. Hac cogitatione præventus, ſimulac Sanctus iſte iniit conſilium mundum relinquendi, illud executus eſt; ita ut dicere poſſit cum S. Paulo, ex quo placuit illi, qui eum a ſæculo avocare quærebat, ſuas aperire voluntates, non audiviſſe ultra nec carnem, nec ſanguinem. Fruſtra Pater, qui reſpiciebat illum tanquam ſuæ familiæ columen, dicit, illum ſeſe devovere debere conſervationi nominis ſui. Fruſtra mater plorans tendit brachia, ut illum retineat. Fruſtra ſeductores amici ſpecioſas rationes afferunt, ut illi perſuadeant: maturo opus eſſe conſilio ea in re, ubi adoleſcentia levitatis ſuſpicionem ingerere poterat. Fruſtra vanis hiſce conatibus, qui melius vocandi eſſent periculoſæ tentationes, ejus conſtantiam labefactare contendunt; immobilis ſanguinis exprobrationibus, inconcuſſus neceſſitudine, ac precibus amicorum, invictus adverſus artes, & conatus tentationis, omnia deſerit ſine dolore Deo vocanti obſecuturus. Heu! quid intereſt mea, utrum nomen meum in terris ſervetur, necne, dummodo ſcribatur in cælo? Quid refert me levitatis ab hominibus argui, dummodo me fidelem inveniat Deus? Cum his ſenſibus, & hac conſtantia a mundo ſecedebat Sanctus N. neque vobiſmet fingatis ſeparationem illis ſimilem, quæ nihil auferunt a mundo, niſi quod in eo eſt incommodum, & quæ a pietate mutuantur ea, quæ lenia ſunt, & facilia ... *Ex Sermone Patris Aurelianenſis*, *Tomo* 2.

Cauſſæ propter quas Sanctus N. a mundo ſeceſſit.

Per effectum Evangelicæ hujus Sapientiæ, quæ ſemper moderata eſt vitam, & conſilia Sancti N. hanc ille vivendi rationem elegit. Satis cognoſcebat mundum, ut judicaret arduum eſſe, in mundo eſſe, & non conformari cum mundo; ſemper abnormem eſſe ab illis, cum quibus vivendum eſt; habere mores ſemper oppoſitos moribus eorum, cum quibus communia interſunt officia; numquam participem eſſe operum illorum, cum quibus ex conſenſu agendum eſt, opus eſſe audaciſſimum, & quod pauciſſimis benevertit: Hac mente Sanctus N. reſpexit ſtatum Eccleſiaſticum, qui jam in Eccleſia celebrabatur, tanquam portus contra Sæculi corruptionem tutiſſimus. *Idem*, *Tomo* 2.

Eccleſiaſticæ dignitates non ſunt requirendæ ab iis, qui ſibi aliqua exteriora talenta eſſe gloriantur.

Satis non eſt exteriora quædam habere talenta, ut quis ſemet proferat, atque in honores, & Eccleſiaſticas dignitates injiciat. Cum omnibus talentis, quæ excogitari poſſunt, duo requiruntur adhuc, vocatio, & virtus. Non deerant J. Chriſto omnia dona, omneſque Spir. Sancti gratiæ; tamen ille numquam per ſe Pontificis qualitatem ſibi vindicavit; & nemo, inquit Apoſtolus, hunc ſibi honorem vindicare poteſt, niſi a Deo fuerit vocatus. *Annus Chriſtianus Tomo* 6.

Oportet ut Eccleſiaſticus primum ſeipſum ſanctificet, antequã alios ſanctificare aggreditur.

Qui ad Eccleſiaſticum miniſterium aſſumuntur, nequeunt utiliter aliorum Sanctificationi operam navare, antequam ſeipſos per receſſum, ſilentium, & mortificationes ſanctificaverint. S. Joannes illos docet quæcumque talenta illi ſe habere putent, numquam tamen præcipiti feſtinatione ingrediendum adeo terribile miniſterium; ſed opus eſt expectare donec illos appellet Deus, eoſque mittat in vineam ſuam. *Annus Evangelicus Lambert Tomo* 1.

Leproſis, quos mundaverat J. C. præcipit, ut ſe oſtẽdant Sacerdotibus.

Poſtquam Jeſus oculos conjecit in decem leproſos, dixit illis: ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Miſit illos ad Sacerdotes, ut pareret legi. Lex præcipiebat, ut leproſi ſeſe oſtenderent Sacerdotibus, quibus jus erat de eorum ſtatu judicium ferendi. Leproſi ea privilegia, ex quibus exciderant, reparare non poterant, niſi Sacerdotes judicium ſuum protuliſſent. Ubi nullum morbi ſupererat veſtigium, illos expiabant, vel potius mundos, & ſanos eſse declarabant. Tunc pro illis offerebant ſacrificia, & leproſis in caſtra reverti licebat. Cum Jeſus Chriſtus leproſis inquit, ite, oſtendite vos ſacerdotibus, nobis præbet longe majoris momenti documentum, & docet peccatores neceſſitatem ad miniſtros ſuos confugiendi ut peccatorum ſuorum veniam obtineant. Cum enim lepra non aliud eſset, quam peccati figura, poteſtas quam antiquæ legis miniſtri receperunt expiandi peccatores, longe inferior fuit illa, quam mundi Salvator conferre dignatus eſt Sacerdotibus novæ legis. *Annus Evangelicus*, *Tomo* 4.

Deus illis, quos ad Eccleſiaſticum ſtatum vocat, tribuit neceſſaria talenta ad illius officia obeunda.

Deus illis, quos ad Eccleſiaſticum ſtatum appellat, mentem injicit ſtatum hunc amplectendi, unice, ut ipſi ſerviant; non autem, ut temporalia lucra aucupentur. Deus illis omnibus, quos ad hunc evocat ſtatum, tribuit neceſsaria talenta, quibus ſuis perfungi valeant officiis, prætereaque præcipit ne noſmet ipſos judicemus, ne propriam ſententiam amplectamur; ſed noſmet Superioribus noſtris ſubjiciamus, per quorum vocem voluntatem ſuam explicare conſuevit. Hæc igitur diligentius ad examen revocanda ſunt illi, qui cognoſcere cupit, utrum vocatus fuerit ad ſtatum Eccleſiaſticum. Primum cogitare debet finem, quem ſibi proponit; deinde ſerio debet expendere talenta, quæ Deus ipſi conceſſit. Denique aperire cor ſuum legitimis Superioribus, & conſulere illos, quorum lumen, & pietas talia ſunt, ut fidei conſonum videatur, Deum ſeſe per illos explicaturum. Qui ſeipſum judicat, fallitur, præſertim vero cum de re agitur tanti momenti, qualis eſt ſtatus Eccleſiaſticus. *Annus Evangelicus Lambert Tom.* 6.

Eccleſiaſticus bene agit, cum amplectitur hunc ſtatum recta intentione.

Bonitas actionis pendet peculiariter ab intentione. Cum recta eſt intentio, paſſim actio tota bona eſt; cum prava eſt intentio, certum eſt univerſum actionis corpus infici, & male ſapere. Vultis ingredi in ſtatum Eccleſiaſticum, quinam eſt finis veſter? Vivere commode, beneficium obtinere, nullo premi labore, vitam in inertia tranſigere. Finis veſter eſt ex nihilo emergere; voſmet in lucem proferre, diteſcere, ambitionem veſtram fovere, ad Eccleſiæ dignitates pervenire. Hic profecto ſordidus eſt finis pro ſtatu adeo ſublimi, ad quem anhelatis. Nihil ultra requiritur, ut innoteſcat, vos a Deo nequaquam vocari: *Oculus tuus nequam eſt*. Prava eſt intentio veſtra, ideoque tenebris eſtis involuti. *Idem.*

Bonæ qualitates zelanti Eccleſiaſtici.

Eccleſiaſticus zelotes eſt vir conſtans; quia Eccleſiaſticus zelotes vir eſt unum dumtaxat metuens, ut Jeſu Chriſti gratiam amittat. Omnes humanæ rationes nullam in illius mente vim obtinent, niſi ad Jeſum Chriſtum referantur. Nihil eſt, quod illum a recta via deterrere valeat. Officia ſua ſunt lex. Hæc regula eſt, a qua nunquam oculos amovet. Conſilium exequendi officia ſua firmum eſt principium, quod ducit eum in omnibus actionibus ejus, & a quo nunquam recedit. Heu! quam fortis eſt Jeſu Chriſti miniſter, cum rationes humanæ nihil poſſunt in ipſum, & unum habet deſiderium placendi Jeſu Chriſto! ubi Eccleſiaſticus ita affectus eſt, illum non terrent minæ, illum præmia, & terræ bona, non movent. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tom.* 2.

Eccleſiaſticus immobilis eſſe debet in conſiliis ſuis.

Quid eſt Eccleſiaſticus timidus, vel ambitioſus? Timor, vel ſpes conſtantiſſima illius labefactabunt conſilia. Times hujus hominis minas, qui te perterrefacere contendit. Quid ergo? Cur times? itane eris ignavus, ut tuum deſeras officium? Si ita eſt, dicit S. Cyprianus, ſi expaveſcimus, cum nobis improbi minitantur, ſi juſtitia ſuccumbit ſub temerariis eorum conatibus, qui nos opprimere tentant, ubi ergo eſt conſtantia, quæ apparere debet in Jeſu Chriſti miniſtris? Sacerdos habens in manibus Evangelium, & qui eſt fidelis Jeſu Chriſto, occidi quidem poteſt, vinci & ſuperari non poteſt. *Idem.*

Eccleſiaſticus utilem ſe præbere debet proximo ſuo.

Si inutiles eſtis fratribus veſtris, quid fiet de omni illa poteſtate, quam accepiſtis, cum Sacerdotio inſigniti fuiſtis? Omnis poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ eo tendit, ut illos pares efficiat, ut proximo proſint. Eccleſia, quæ illis ſuam committit auctoritatem, ſupponit illos uſuros eſſe poteſtate ipſis collata, ad filiorum ſuorum utilitatem. Recipitis poteſtatem conſecrandi corpus Domini, & ſacrificium offerendi. Vos non pro vobis tantum offertis ſacrificium, ſed offertis illud Eccleſiæ nomine, & pro tota ſimul Eccleſia. Offertis illud nomine populi, qui huic intereſt ſacrificio. Fruſtra recipitis facultatem redimendi peccata, ſi nullum habetis zelum pro ſalute peccantium, & ſi nullo habetis in diſcrimine fratrem veſtrum, qui perit, & obdormit in ſcelere. Quid vobis prodeſt facultas annuntiandi Evangelium, ſi vos pudet annuntiare Jeſum Chriſtum? ſi non laboratis, ut peccatores intelligant quam miſeri ſunt, cum ab Evangelicis dogmatibus recedunt? Ecce facultates veſtræ; ecce talenta, quibus donati eſtis, de quibus rationem repoſcet Deus in die iræ ſuæ. *Idem.*

Quomodo S. Eccleſiaſticus ſeſe gerere debeat erga pœnitentes.

Licet certo innotuerit Sanctum hunc Eccleſiaſticum nullum unquam commiſiſſe crimen prorſus voluntarium licet exiguum; agebat tamen cum peccatoribus, qui ad pedes ipſius procumbebant, perinde ac ipſe fuiſſet omnibus ſimul nocentior. Qui humilem, modeſtumque oris ejus habitum vidiſſet, dixiſſet illum potius adeſſe veniam percepturum, quam daturum; & diſtillabat ſuper peccatores Sanguinem Jeſu Chriſti cum ea caritate, ac ſuavitate, qua illum Jeſus Chriſtus effudit. Ipſe ſemet coram illis accuſabat, ut illi facilius ſeipſos accuſarent, & ejus humilitas erat tanquam ſuavis, & ſancta ratio, qua utebatur, ut nocentes animas torqueret ſuptibus verecundiæ ſuæ, non autem doloris eorum. Sed quamvis omnino dulcis eſſet pœnitentibus, dulcedini ſuæ quamdam aſpergebat ſeveritatem, quæ illos in obſequio continebat. Se ipſum abjiciebat, quin tamen abjiceret Deum, quem repræſentabat; ſervabatque ſemper in hoc judicio majeſtatem, quæ ciebat in illis memoriam Dei, ubi veniet ad univerſale Judicium. Non poterat parcere illis, qui nolentes penitus abrenuntiare placitis ſæculi, mundum cum Deo conciliare conantur; & qui ſententia ſua J. C. ſapientiores, credunt unum eumdemque hominem poſſe duobus ſimul dominis deſervire. (*Matth.* 6. 14.) Cum aliquos inveniebat hac in re pertinaces, palam dicebat illis, melius eſſe, ut alium ſibi quærerent confeſſarium; illos in ea neceſſitate, in qua eſſe credebat dicendi ſemper veritatem, haud ita facile in eamdem ſententiam conventuros; & ſe haud ita facile eam taciturum, quam ipſi eamdem eſſent paſſuri. Ita Sanctus hic Vir teſtabatur exemplo ſuo omnibus Confeſſariis, quod licet humanus reſpectus aliter ſuaderet, ſi tamen ſincere, & ſecundum Deum loquendum eſſe, licet nihil inde proficerent niſi quod ſuo munere perfungerentur, & oſtenderent, nobis non eſſe prætermittendum, quominus veritati teſtimonium perhibeamus, etiam ſi alii ſubmiſſione ſua illud perhibere detrectent. *Ex vita Cardinalis de Berulle lib.* 1.

Plurimi ſunt Eccleſiaſtici, ſed pauci, qui æque ac Sanctus N. in vinea J. C. laborent.

Jeſus Chriſtus curam prorſus ſingularem gerit animarum; modo illas reſpicit tanquam gregem, cujus eſt Paſtor; modo tanquam uberem meſſem, cujus eſt Dominus; modo illi diſplicet magnam quidem eſſe meſſem, paucos autem operarios. Mundus plenus eſt Eccleſiaſticis, dicit S. Gregorius hoc malum deplorans, & nihilominus pauci inveniuntur operarii in meſſe Domini, quia accipimus quidem characterem, & officium ſacerdotale, ſed non replemus opera miniſterii noſtri, neque noſtræ dignitatis officia. Quotuſquiſque eſt, qui cum S. Paulo dicere valeat: *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi?* Quidquid de aliis ſit, tu conare ſecundum Sancti noſtri exemplum gratiæ vocationis tuæ reſpondere: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*; Deum precare ut tuis ſuppleat defectibus, & mittat operarios in meſſem ſuam. Hæc enim meſſis ab illo procedere debet; hoc illius opus eſt. Vult operarios, non inertes homines vult a Domino meſſis mitti; vult orari. Nubes quæ ubertatem afferunt ubicumque agros irrigantes, non alium habent motum, niſi quem ab illo recipiunt. Ex ſe ultro non feruntur hac potius, quam illac; imbrem effundunt æque ſuper terram alienam, ac in illam, quæ produxit eas; præſto ſunt, ut imperata faciant, & morentur, & procedant ad nutum miſericordiæ ipſius. Ita Sanctus N. obediit voci Dei, qui illum ad munus hoc evocaverat; acceperat illud de manu Dei, qui erat robur, & præſidium ejus; quapropter Dominus benedixit omnibus laboribus ejus. *Meditationes P. Novet. Tomo* 6.

Quod ſit diſcrimen inter eos qui ad Eccleſiaſticum ſtatum vocati ſunt ab iis qui ſecus.

Qui legitime vocatus eſt, & qui ſecus, uterque Sanctuarium ingrediuntur, ſed non ſine diſcrimine. Priori patet janua; alteri vero non item. Videlicet, prior ille ingreditur Paſtore ſummo conſentiente; hic illum inter miniſtrorum ſuorum numerum gaudens admittit; Angeli gaudium ſuum teſtantur Canticis laudum; oves, videlicet Sancti feſtinant audituri vocem Paſtoris ſui. Qui non vocatus venit, invito Patrefamilias ingreditur, qui eum ægre ſuſtinet. Angeli irritantur impotentia, qua polluitur quidquid ſanctiſſimum eſt in Religione; Sancti dolent cogitantes, eos qui mittuntur ad annuntianda Domini mirabilia, os aperire, ut profana loquantur. *Lambert in anno Evangelico*, *Tom.* 6.

Quanta ſint Eccleſiaſticorum obligationes, & quomodo illis abutantur.

Coram Deo munere noſtro perfuncti non ſumus, eo quod divinum Officium recitavimus, vel aliquot exercuimus functiones, quæ ſatis magnum præmium nactæ fuiſſent, ſi qui poſſident beneficia omnia munera ſua adimpleviſſent, cum adeo levibus obligationibus feciſſent ſatis. Quo ampliora ſunt beneficia ſive per dignitatem, vel emolumentum, eo majores ſunt obligationes. Illi in quorum manibus hos ſacros reditus depoſuit Deus, falluntur, ſi putant, penes ſe arbitrium eſſe illos pro libidine diſpenſandi, Jeſu Chriſti intentio eſt, miniſtros ſuos contentos eſſe illius, quod ipſis eſt neceſſarium juxta regulas chriſtianæ & Eccleſiaſticæ mediocritatis. Quod ſupereſt, conſecrandum eſt in proximi utilitatem. Si reditus Eccleſiaſtici fideliter adminiſtrarentur, ignari eruditi eſſent, afflicti ſolatium invenirent, Evangelium pauperibus annuntiaretur; qui derelicti ſunt, & ſquallent in miſeria tutum haberent ſolatium, nunquam in urgentibus eorum neceſſitatibus defuturum. *Idem.*

Conceptus quem habere debemus de ſtatu Eccleſiaſtico.

Quid exiſtimandum eſt de Eccleſiaſtico tranquillam vitam ducere quærente? Creditiſne illum ſalvari poſſe? dicere poſſumus terribilia illi onera impendere, & vereor, ne plurimi ſuis perfungantur officiis. Contremiſco pro tot Beneficia obtinentibus, ne J. Chriſti hereditatem depopulentur. Ulline ſunt Sacerdotes, qui poſtquam obtulerunt Sacrificium, facti fuerint ſacrificium juſtitiæ Dei, cujus imploraverunt miſericordiam? Ulline ſunt Præſules, qui poſtquam peccatoribus aperuerunt cæli januam, eam ſibi obſtruxerunt? Ulline Paſtores, cui cum alios J. Chriſto reconciliaverint, ab eodem receſſerunt? Verum quid eſſet, Domine, ſi animæ ſanctæ, quæ omnibus abrenuntiant, ut te ſequantur, quæ tibi omnia bona, ſpeſque ſuas ſacrificant, ſi electus hic grex his viſibiles Angeli nullum apud te perfugium invenirent? *Dictionarium morale*, *Tomo* 1.

Licet Eccleſiaſticum miniſteriũ ſit omnium elatiſſimũ, qui in eodem conſtituti ſunt, multum habere debent humilitatis.

Nihil majus, nihil ſublimius eſt, quam Evangelicum miniſterium. Quid inde inferre debent illi, quos Deus ad miniſtrorum ſuorum ordinem dignatur evehere? Hoc debent inferre, debere ſe ſe humiliare, expiare, laborare. Quo magis Eccleſiaſticus elatus eſt, eo magis ſe ipſum humiliare tenetur: Eccleſiaſticus ſuſtinere nequit gradum, in quo ſitus eſt, niſi accuratiſſimam, puriſſimamque ducat vitam. Miniſterium Eccleſiaſticum honor eſt, cui graviſſimæ adhærent obligationes, quæ expleri nequeunt niſi jugis labor adhibeatur. Multum elati fuiſtis per honorem, quem vobis contulit J. Chriſtus vos inter ſuos miniſtros recenſens. Profunde igitur voſmet humiliate: Si enim tantum voſmet humiliare debetis, quantum elevati fuiſtis, quouſque tandem vobis deſcendendum eſt, ut aliqua ratio adſit inter gloriæ gradum, ad quem vos extulit Deus, & veſtram deſcenſionem? *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* (*Eccli.* 3. 10.) Nemo eſt, qui magis teneatur hoc Sapientis placitum ſequi, quam Eccleſiaſtici. Magni ſunt, neque ulla eſt magnitudo cum hac miniſtrorum Domini comparanda: Hæc igitur eximia cauſſa eſt, propter quam omnibus in rebus humiliari debent. Debent igitur in omnibus vitæ actionibus ſeſe humiliare. Ad quid enim tota eorum magnitudo prodeſſet, niſi inde proficerent coram Deo gratiam inventuri? Cum magnitudo non eſt cum humilitate conjuncta, cum non habetur tanquam urgens cauſſa, quæ noſmet humiliare cogit, nos in ſpeciem attollit, ſed re ipſa lapſus noſtri cauſſa eſt. Magnitudo omnis, per quam non invenitur gratia apud Deum, vanitas eſt. Ergo tantum abeſt, quod magnitudo nobis injiciat oblivionem obligationis noſmet humiliandi, ut immo in nobis ciere debeat memoriam. Etenim quantuſcumque es, omnia perdis, niſi Deo places, & Sapiens pollicetur fore ut te in omnibus humilians, gratiam invenias apud Deum: *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica*, *Tom.* 1.

Fi-

Eccleſiæ ſanctificatio finis eſt ſtatus Eccleſiaſtici.

Finis ſtatus Eccleſiaſtici eſt Eccleſiæ ſanctificatio, & hæc Eccleſiæ Sanctificatio ſita eſt in vitiis prohibendis, ſcandalis tollendis, moribus reformandis, legibus obſervandis, & diſciplina reparanda. Finis eſt medicinam afferre jacturæ tot animarum quotidie pereuntium ſeu per ignorantiam veritatum fidei, & officiorum ſuorum oblivionem, ſeu per contagionem vitiorum, quæ impune graſſantur, ſecumque ferunt quocumque licentiam, & corruptionem. Damnum infinitum, & jactura inæſtimabilis! O abyſſus conſiliorum, & judiciorum Dei! Poſſumuſne tot lapſus, & tot mala intueri, quin ut olim Propheta, præ dolore ingemiſcamus? *Tabeſcere me fecit zelus meus*. Finis eſt efficere, ut ceſſet rerum ſanctarum profanatio, ſacramentorum abuſus, pœnitentiæ relaxatio, & in Communionis uſu Sacrilegia. Finis eſt reparare Domini cultum, inſpirare populis reverentiam erga terribilia myſteria, illos prædicationibus noſtris audiendis, & ſacris officiis, & ceremoniis promptiores efficere; rurſus inflammare ardorem jam jam fere extinctum pietatis, & hoc pacto totum J. Chriſti gregem inſtaurare. Denique, ut me verbo expediam, vobis fingite auditores quidquid perfectiſſimum, & diviniſſimum eſt in miniſterio Apoſtolico; hoc illud eſt, quod ſpectarunt homines Dei, ferventes gloriæ ipſius zelatores, & digni miniſtri verbi illius; & hoc etiam illud eſt, quod fideliter præſtitit Sanctus N. cujus memoriam hodie recolimus. *P. Bourdalove in Chriſtianis Exhortationibus. Tom. 1.*

Efficaciſſima ratio Eccleſiam ſanctificandi eſt bonos Sacerdotes ſtatuere.

Parum tamen profuiſſet finis adeo nobilis, niſi Deus ſapienter de mediis cogitaſſet. Credidit autem breviſſimum, efficientiſſimum, certiſſimumque medium ad pietatem fovendam eſſe, bonos efformare Sacerdotes, qui tanquam ſal terræ, ſecundum Jeſu Chriſti figuram, & tanquam mundi lumen illuſtrarent Eccleſiam, ejuſque ſervarent integritatem. Conſideravit, ubi ſal terræ ſemel corrumperetur, & lux mundi caligine aſpergeretur, futurum eſſe ut ſpiritus denſiſſimis tenebris obruerentur, & corda perverterentur. Chriſtianiſmi vaſtitatem quovis tempor minus obortam eſſe a populis, quam ab eorumdem ductoribus, atque ut mali cauſſa cognoſceretur, habendos eſſe Sacerdotes eruditos, vigilantes, laborioſos, attentos; frugi, & irreprehenſibiles; eruditos Concionatores, ſapientes Confeſſarios, Paſtores fideles, atque zelo ſuccenſos. Ad id neceſſe eſſe domos, ubi educarentur, & perficerentur; domos, in quibus Eccleſiaſtici ponerent tyrocinium, quale habent Regulares, & hæc ſeminaria longe magis utilia futura Eccleſiaſticis, quam ſimplicibus Religioſis; quia ſimplices Religioſi ſeſe relaxantes ſibi ipſis nocent dumtaxat, cum Eccleſiaſticorum, & Sacerdotum relaxatio, officiat toti orbi Chriſtiano, cujus duces eſſe debent, & directores. In hujuſmodi Seminariis Sanctus Eccleſiaſticus noſter ſe ad veram pietatem effinxit, qua ſanctus effectus eſt. *Adhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue, Tom. 1.*

Quomodo plærique Eccleſiaſtici laborent ut ſuſtineant Eccleſiam.

Jeſus Chriſtus in Evangelio ait: *Meſſis multa, operarii pauci*; vel ſi mavis, multi ſunt operarii, ſed ratione operum, & curarum, quas flagitat, pauci. Operarii multi, ſed pauci, qui in ſe complectantur omnes qualitates, quæ requiruntur, doctrinam, pietatem, zelum, prudentiam, patientiam, laboris amorem. Multi operarii, ſed pauci, qui neceſſariis talentis ornati ſuſtinere velint Sacerdotii labores, ibi vitam ſuam conſumere, ſeſe devovere, ac ſacrificare. Multi operarii ad quædam replenda ſubſellia, ad poſſidendas quaſdam dignitates, ad obtinendum honorem, privilegia, redditus; pauci vero ad ſarcinam, ac onus ferendum. Multi operarii pro nitentibus miniſteriis, ſed pauci pro obſcuris officiis; multi pro civitatibus, ſed pro agris pauci. Neque miror, ut enim quis ablegetur in rura, & provincias, præſertim vero ut in agris operetur, conſilium capiendum eſt, ſeſe ſubjiciendi iis omnibus, quæ ſunt moleſtiſſima, & quæ animos noſtros avertunt. Paratus eſſe debet ad triſtiſſimam ſolitudinem perferendam, ad vivendum cum hominibus, in quibus præter formam nihil humanum videtur; cum illis neceſſitudo, ac familiaritas eſt ineunda; aſſueſcendum eſt barbaris eorum moribus; illorum ruſticitas perferenda eſt; centies eadem ſunt illis repetenda, ut intelligant; vox eſt exhaurienda, ut aliquibus Religionis rudimentis imbuantur. Huic vivendi rationi Eccleſiaſticus noſter ſeſe conſecravit. *Idem.*

Non deſunt in præſentiarum viri Apoſtolici, ſeu ſæculares, ſeu regulares.

Seminariorum inſtitutio reſpicit æque agros, & urbes; obſcura æque miniſteria, & fulgentia; Dei ſolum gloria, & proximi ſalus ſpectatur. Ubique alterutrum inveniri poteſt; indiſcriminatim labor quærendus eſt. Senſus hujuſmodi adoleſcentibus Chriſtianis inſpirantur; qui poſtquam aliquantiſper exerciti ſunt in domo Domini, quo illos zelus non adigit? Hoc ipſe intuitus ſum, auditores, & teſtari poſſum. Sed quanam cum conſolatione id ſum intuitus? qua cum admiratione? Memini adhuc, neque obliviſcar. Vidi viros indefeſſos; ſemper alacres ubi de animarum progreſſus agebatur; homines ſemper occupatos ſine requie excolendis ſiccis, aridiſque terris; videlicet intentos ad revocandos illos, qui aberraverant, ad errorem ab illis extorquendum, qui in illum inciderant, ad flectendos ſpiritus pertinaces, ad illuminandos cæcos, eoſque ſibi conciliandos, ut illos cum Eccleſia reconciliarent. Illos vidi, ac millies benedixi domui, unde egreſſi ſunt, non ſecus ac ex Cœnaculo Apoſtoli. Millies optavi, ut multiplicari poſſent, ut Europa univerſa particeps fieret laborum illorum. Quænam inde ſequeretur reformatio & in clero, & in omni fidelium corpore? Si igitur Auditores vos movet Dei honor, ac bonum ſpirituale fratrum veſtrorum; ſi vos afficit ſenſus bonorum veſtrorum; ſi vultis ſolide, ac plenè reparare ſcandala omnia, quæ fortaſſe præbuiſtis; alii quidem non ſine cognitione; alii vero imprudentes, & neſcientes; nihilne eſt, cui parcere debeatis, nihil, quod vobiſmet ſubtrahere valeatis ad alimoniam Sancti hujus loci, ubi tales miniſtri efformantur? Quot animas lucrabimini J.C. eleemoſynis veſtris, procurantes illis adeo eruditos præceptores, & Prædicatores tanto zelo ſuccenſos? *P. Bourdaloue Tom. 1. Exhortationum Chriſtianorum.*

Multum terrarum eſt, etiã in illis partibus ubi Chriſtiana viget Religio, ubi Deus imperfecte tãtum cognoſcitur.

Quantum terrarum eſt, non dico ſolum apud Idololatras, ſylveſtreſque homines, verum ibi etiam, ubi Chriſtiana viget Religio, in quibus Deus, vel non cognoſcitur, vel obſcuriſſime tantum, & imperfectiſſime cognoſcitur? Quot pagi, ubi nulla eſt idea articulorum maxime eſſentialium noſtræ Religionis? O me beatum, ſi hic in anteceſſum humiles gratiarum actiones referre poſſem Deo, eique benedicere eo quod huic malo medicinam eſtis allaturi, & eo quod odor caritatis veſtræ in incultas, deſertaſque terras penetrabit! *Deo autem gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat imi per nos in omni loco*. Hac in re imitabimini zelum primorum fidelium quorum fidem profitemini. Quemadmodum Apoſtolis univerſus terrarum orbis peragrandus erat, & omnes populi erudiendi, ita fideles ſe teneri putabant, ut eorum neceſſitatibus providerent, donec illi ad Eccleſiæ incrementum locarent operam. Legite Epiſtolas S. Pauli; & videbitis, quomodo ad id colligebantur quotidie eleemoſynæ & quonam ardore ſui putabant intereſſe Chriſtianæ fidei dilatationem. *Idem.*

Magni progreſſus, quos fecit Sanctus N. in amore Caſtitatis.

Quia Angelus Domini exercituum eſt. Malac. 15.

Qui paſcitur inter lilia Cant. Cant. 2.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, & æmulator, Deut. 5.

Caſtitatis amor, quem Sanctus hic Eccleſiaſticus habuit, ut vidimus, ab ipſis pueritiæ ſuæ annis, non ſecus ac aliæ virtutes, magnum nactus eſt incrementum. Voluit eſſe Angelus per puritatem, antequam eſſet per miniſterium; & expectans recipere ſæpe ſinu ſuo Agnellum immaculatum, maximam adhibuit curam, ut candorem, & ſpeciem liliorum tueretur, inter quæ paſci, & quieſcere oblectabatur. Ejus in colloquiis, quæ cum mulieribus habere tenebatur, tanta erat verecundia, ut plerumque oculis in terram defixis loqueretur; volebatque, ut ne intuitus quidem ſui negotium faceſſere poſſent Deo, qui zelotypus eſt. Neceſſe non erat illi, ut mulieres faciem ſuam velarent, juxta S. Pauli præceptum, ne ſcandalum ſacris Miniſtris inferrent; modeſtia hujus viri oculis ſuis aliud objiciebat velamen, quo illas intueri prohibebatur. Videbatur pietas, quæ illum Mundo mortuum effecerat, clauſiſſe oculos ejus omnibus Mundi vanitatibus; eratque ita collectus in ſe, & Deo plenus, ut ſolus ejuſdem intuitus in cordibus J. Chriſtum imprimeret; & cum e contra non deſint oculi impuri, qui laſciviam inſpirent, & injiciant virulentos ſpiritus in corpora, oculi ejus injiciebant puritatem, & divini amoris ſcintillas uſque in penitiores animarum receſſus, & quidquid manabat ab illo, ita erat ab omni alienum immunditia, ut plurimi ex tentationibus incolumes evaſerint; alii quidem per verba, alii per facta, quidam per preces, nonnulli per Epiſtolas. *Ex vita Cardinalis de Berulle, lib. 1.*

Quomodo ſeſe gereret Sanctus hic Eccleſiaſticus in converſionibus, quibus intereſſe debebat cum hominibus.

Facies ejus, & ſermo non erat auſterus. Jeſus Chriſtus in illo ſuavitatem ſuam collocaverat, & cæleſtes veritates, quas hic Dei ſervus effundebat in animas ſermonibus ſuis, non deſcendebant, ut olim de Monte Sinai inter fulmina, atque tonitrua. E contra ejus converſatio hilaris erat & elegans, licet ſeria eſſet, & ſancta; nunquam loquebatur cum tædio, licet ſemper loqueretur cum ædificatione, & lepide verba proferebat, licet nulla unquam proferret otioſa. Illa vero quæ neutra videbantur, & quæ ad recreandos animos efferebat, ſecum afferebant utilitatem. Ut plurimum ad contemptum, ac terrenarum rerum vanitatem referebantur. Et innocenti dolo divina lumina ſenſim, ac ſine ſenſu in animas illabebantur, cum ad oblectationem, & animi relaxationem dicta viderentur. Quod ſi quis ex comitatu inutilem Sermonem ingereret, vel in ipſo ortu jugulabat, vel ſi minus hoc poſſet, ſe ſe intrinſecus cum Deo colligebat, ne ſemet illi immiſceret; ac interea ſpiritu verſabatur in Cælo, ita ut ſæpe confeſſus fuerit, ſenſus ſuos nullam habere partem cum ſenſibus hominum. Verbo, qualis eſſe decreverat in oratione ſua in ſocietatibus, cum ibi adeſſe teneretur; talis reipſa erat; licet in pleriſque animabus id accidat de bonis propoſitis, de meditatione, & receſſu, quod de floribus arborum, quorum præclara quidem eſt ſpecies, & magna in copia naſcuntur, ſed qui ubi ventus afflaverit, decidunt, & minima tantum pars perficitur. *Ex vita Cardinalis de Berulle Libro primo.*

Sanctus hic fugiebat Eccleſiaſticas dignitates, quoniam ut plurimum magnis periculis ſeptæ ſunt.

Si Sanctus N. fugiebat humilitate ſua nitorem honorum: non huic tantum virtuti accepta referenda eſt tota hujus contemptus gloria; quippe generoſum hoc ſe ſe in abjectione continendi conſilium duabus aliis rationibus innitebatur; quarum prima timor erat pereundi, & cognitio, quam tenebat dignitates omnes etiam Eccleſiaſticas graviſſimis conjunctas eſſe periculis, & quo ſanctiores ſunt per ſe, eo magis metuendum eſſe poſſidentibus illas, ne ſanctitatem ſuam in diſcrimen adducant. Dicebat, Jeſum Chriſtum præcipere, ut qui per auctoritatem ſunt omnium primi, humilitate fiant omnium noviſſimi, & dignitatem a perſona ſejungentes, caveant ne ſibi vindicent magnitudinem, quæ ad dignitatem tantummodo pertinet. *Idem.*

Sanctus hic Eccleſiaſticus ſingularem habebat in confeſſionibus gratiam, ut qui apud illum confiterentur non mediocrem fructum perciperent.

Deus, ut S. Paulus Apoſtolus loquitur, erat in hoc J. C. Miniſtro, ſibi Mundum, & peccatores reconcilians. Docebat imperitos, confirmabat infirmos, pacabat animas perturbatas, molliebat eos, quorum corda erant indurata; avellebat

eos,

eos qui mundo inhærebant, & quidquid illis diceret, verba ejus, ut plurimum, in mentes eorum penetrabant, quemadmodum proficiſcebantur ex ſpiritu ipſius inflammata, & ardentia. Potiſſimum vero validiſſima habebat verba, ut aperiret quanti momenti ſit, non pati, ut quis trahatur communibus imperfectionibus ſuis, poſtquam inſignibus gratiis cumulatus fuerit a Deo; & ne quis contaminet Salvatorem, & Sabbatum Domini polluens animam, in qua ille ſemel quieverat. Loquebatur ad ſingulos juxta captum eorum, & omnibus omnia ſe ſe præbebat, ut Jeſum Chriſtus eſſet in omnibus omnia. Sæpe ſe ſe attollebat ad Deum pro pœnitentibus ſuis tanto zelo, ut ſimul illos ſecum attolleret, & ſimilis aquilæ pullos ſuos volare edocenti circum illos volabat. Imponebat illos alis ſuis, & ut ita dicam ſuper humeros accipiens, eos in cælum uſque rapiebat. Id præſertim ei erat curæ, ut ab illis Contritionis actus eliceret, ut eos a veteri homine avulſos, novo adnecteret. Volebat ut ſe ſibimet eripientes, ſe totos Deo manciparent; ut in ſe morerentur, in illo victuri; & ſanctum odium, quod peccator concipiebat in ſe, principium eſſet amoris perfecti pro Filio Dei. Ita licet nihil ſit Naturæ gravius, atque acerbius, quam anceps hic gladius, qui ſeparat hominem a ſe ipſo, & dividit animam a ſpiritu, vulnera tamen mirum in modum leniebantur oblectatione recentis affectus, quem illis in Deum inſpirabat. Evellebat cor ſine ſenſu, ac mortem amori proprio inferebat ſine dolore, quoniam illum alterius amoris jaculis confodiebat. *Ex vita Cardinalis de Berulle Lib. 1.*

Sacerdos tenetur orare pro Populo & illi Domini gratias promereri.

Tenetur Sacerdos Domini gratias non ſolum ſibi, ſed etiam populo promereri. Quid eſt Sacerdos? Homo eſt, qui per ſtatum, & conditionem ſuam debet ſemper preſto eſſe, loquatur pro populo. Si Deus iratus eſt, Sacerdotis eſt illum mulcere. Si populus eget auxilio, Sacerdotis eſt illud flagitare: Sacerdotes ſunt Mediatores inter Deum, & populum. Quomodo vero ampliſſimo, & maxime neceſſario hoc munere perfungentur, niſi preces obtulerint Deo, quæ exaudiri mereantur? Sæpe mementote Sacerdotes Domini muneris, quod vobis impoſitum eſt loquendi apud Deum pro populo. Sanctus quidam Propheta aſſerit, cum Deus irritatus eſt contra populum ſuum, Sacerdotum officium eſſe ſe ſe *proſternere, plorare, clamare*, (*Joel.* 11.) & humiliter veniam precari pro populo ingrato, & rebelli adverſus Dominum ſuum. Munus hoc adeo neceſſarium eſt, ut alius Propheta affirmet, ſi illud obire neglexerit Sacerdos, Deum hoc illi exprobraturum. Quid? inquiet illis, (*Ezech.* 13.) Miniſtri indigni, & prævaricatores, expectabam a vobis, ut voſmet objiceretis inter me, & populum meum, neque hoc feciſti: credebam vos ſimiles futuros mœnibus præaltis, & fortibus, quæ ab hoſtium incurſu populum tuentur, & nihil feciſtis eorum, quæ vos facturos ſperabam. Verba terribilia, & quæ palam oſtendunt grave illud onus, quod Sacerdotibus impoſitum eſt. *Lambert in Sermonibus de vita Eccleſiaſtica. Tom. 2.*

Eccleſia Sacerdotibus præſcribit modũ orandi pro populo.

Eccleſia huic muneri intenta officia ſua ita diſpoſuit, ut Sacerdotes ſæpe cum Deo loquantur pro populo. Ingerit in os eorum eximia verba, quibus a Deo miſericordiam petunt pro populo, & in quibus Deum deprecantur, ut peccata populi obliviſcatur. Hæc omnia ſatis oſtendunt, quanti Sacerdotum interſit ſæpe preces effundere; quanti referat illos placere Deo, ubi eidem ſua nuncupant vota. Hæc omnia palam oſtendunt, officii recitationem eximium eſſe medium ad explendam obligationem, quam contrahit Sacerdos, ubi Mediator conſtitutus eſt Deum inter, & populum. Sacerdotes Domini, attente orate, quia hæc prima eſt conditio, ut in oratione placeatis Deo. Sacerdotes Domini, novos adhuc conatus exerite, conſiderantes onus, quod geritis, cum arcta adeo neceſſitate fovere teneamini precibus, & bonis operibus veſtris ſanctam unionem, quæ eſſe debet Deum inter, & populum. *Idem.*

Prima diſpoſitio, quã Deus exigit ab Eccleſiaſtico eſt caſtitas.

Prima ex illis diſpoſitionibus, in quibus Dei Filius adveniens invenire cupit Eccleſiaſticum, eſt caſtitas ſine macula, & ſine labe. Cingulum quo jubet renes noſtros præcingi, S. Gregorius ait, eſt figura ſalutaris, & conſtantis hujus violentiæ, quam inferre debemus carni ad compeſcendos omnes inordinatos motus illius, ad minimos etiam impetus ejuſdem cohibendos. Hoc Salvatoris imperium generatim ad omnes homines pertinet: ſed potiſſimum ad Aræ Miniſtros, & eos omnes, qui frequentius, & propius accedunt ad illum. Docet Scriptura Deum zelotem eſſe ſanctitatis Templi, & Altaris, ubi ipſi ſacrificia offeruntur. Sacerdos non ne & ipſe eſt hoc Templum, & Altare? Non ne in manibus ejus immolatur, & in ejus corde conſumitur puriſſima victima? Quænam igitur eſſe debet puritas harum manuum, & ſanctitas hujus cordis? Religioſa uſque ad ſcrupulum puritas, quam Dominus olim a Sacerdotibus, & Levitis exigebat, umbra tantum erat illius, quam hodie requirit a nobis. Noſtra tantum illam ſuperare debet, quantum veritas figuram. Maria licet puriſſima, nimis pura non erat pro miniſterio, ad quod evehebatur. Noſtrum vero neque minus ſanctum eſt, neque terribile minus illo: noſtra igitur puritas illius puritatem æquare deberet. De his principiis apud omnes conſtat, ſed hinc ea quæ debemus, inferimus? Sancte Spiritus ea nobis tuis luminibus explica. *Ex Chriſtiana morum diſciplina Patris la Neuville. Tom. 4.*

Puritati accedere oportet bonorum operum praxis, ſine qua ſit inutilis.

Puritas eſt diſpoſitio neceſſaria, ſed ſola non eſt; addenda eſt praxis bonorum operum, quæ S. Gregorius ait, per *ardentes lampades* ſignificantur. Caſtitas æque ac fides, inutilis eſt cum ſejuncta eſt ab operibus ſanctificantibus. Virgines fatuæ erant puræ, ſed lampades earum erant extinctæ; quod ſatis fuit, ut a Sponſo excluderentur. Non igitur ſatis eſt, manus noſtras puras eſſe; laborioſas, & ad agendum paratas eſſe decet. Væ illi, qui ſatis eſſe putans cor ſuum a corruptione præſervaſſe, audet *fatuarum Virginum* exemplo indulgere ſomno, otio, inertiæ. Convivalis aula illi in æternum obſtruetur. Arguamus igitur cum Patribus, caſtitatem ſine aliis virtutibus parum eſſe, licet ſine illa in Chriſtiano neque virtus, neque meritum poſſit inveniri. Quodnam meditationis argumentum, quod documentum pro omni ætate, ſexu, ſtatu! Eccleſiaſticus ſobrius, ac temperans eſt; inceſſanter in vinea Domini operatur, zelum habet pro ſalute fratrum ſuorum, large effundit eleemoſynas ſuas in ſinum pauperum; ſed in ſinu ſuo aliquas retinet ſordes? omnia illius opera interierunt. E contra religioſe cuſtodit cor ſuum ab omnibus ſordibus vacuum: ſed nulla in eo Deus invenit opera bona? jam in ſervorum inutilium ordinem rejiciendus eſt, & in æternas tenebras conjiciendus. *Ex libro cui titulus; Moralis Chriſtiana Patris la Neuville. Tom. 4.*

Eccleſiaſticus qui habet ſpiritũ J.C. ſemper mundi conventus evitat.

Jeſu Chriſti Miniſter, qui repletus eſt ſpiritu ſtatus ſui, non invenitur crebro in Mundi conventibus. Libenter inviſit pauperes, afflictos, ægrotos, & raro videtur præ foribus Principum, atque Optimatum. Eo pergit, cum neceſſitas, vel zelus gloriæ Dei adducunt illum; nunquam vero ob animi voluptatem, ſtudium, vanitatem; neque ut in partem accedat inanium ſolatiorum, vel ut eorum gratiam, favoremque aucupetur. Hæc morum diſciplina ſola non eſt regula, quam ex hoc Evangelio haurire debetis per occaſionem convivii, cui Dei Filius intereſſe dignatus eſt apud Phariſæum; mementote divini illius convivii, quod hodierna die vobis præparat in domo ſua, ad quod vos invitat. Accurate voſmet diſponite, honorem hunc tanti facite, quanti faciendus eſt; contendite, ut quam ſæpiſſime eodem dignos voſmet præbeatis. Phariſæi ideo Salvatorem cogerunt cum illis manducare, ut illi necterent inſidias. Religioſus, & Sacerdos vulgo, & ſine temeritate ſuſpicari poteſt, parem intentionem in laicis illum invitantibus, ut voluptuariis illorum cœtibus interſit. Quamcumque ſollicitudinem illi vobis oſtentent, ſemper vobiſmetipſis cavete, neque exiſtimetis, homines, qui ſtatum noſtrum profitentur, poſſe aliquid conferre ad eorum lætitiam. Scitote vos ab illis eodem ferme oculo reſpici, quo Jeſus a Phariſæis ſpectabatur. Vos propius cenſoria trutina ſcrutabuntur, & fortaſſe etiam improbe notabunt. Difficile eſt, ut coram illis omnem ſervetis modeſtiam, omnem gravitatem, quæ ſtatum veſtrum decet, quin illis graves ſitis; ſed ſi vel tantillum a veſtro charactere aberrabitis, contemptus eorum pretium erit veſtri erga illos obſequii. Quomodonam Jeruſalem particeps fieri poteſt feſtivitatum Babylonis? Quantum profana illius gaudia pariunt amaritudinis vero Iſraelitæ! *Ex eodem Tom. 4.*

Quibus ſe ſe objiciũt periculis illi, qui vel conſanguineis, eorumque amicis beneficia procurant.

Sanctus hic Eccleſiaſticus non imitabatur aliorum exemplum, qui conſanguineis, amiciſque beneficia procurant. Poſtulas pro conſanguineo, amico aliquod beneficium; agnoſcis ne tu illius qualitates, talenta, virtutes? Sciſne quid ſit ſtatus Eccleſiaſticus? Nunquid calles illius officia, & conditiones, quæ requiruntur ad illa recte, & rite obeunda? Sciſne Deum abs te rationem expetiturum vitæ hujus hominis, qui debet ſollicitationibus tuis locum, quem tenet in Eccleſia? Utique illius talenta cognoſcis, & noſti illi deeſſe ea, quæ ſufficere valeant; virtutem eſſe mediocrem, captum non ſatis magnum; illum neque docendo, neque ædificando parem eſſe. Trahitur ille carnalibus cauſſis, & minus te afficit ſalus animarum, quam cæca cupiditas provehendi conſanguineum, vel amicum? Quot congeris crimina? quandoquidem conſtat, omnem hominem, qui quomodocumque contulerit ad indigni electionem, participem fieri peccatorum, quæ indignus committit in exercitatione ſui miniſterii. *Lambert in Anno Evangelico. Tom. 6.*

Ejuſdem argumenti.

Fatentur quidem, eos, qui Eccleſiaſticum ſtatum ingreſſi, vitam ſanctam minime vixerint, graviſſimis obſtringi criminibus; ſed negligunt ſcelus patratum ab illis, a quibus implicantur in hoc ſtatu ad quem vocati non ſunt. Nihilominus hæ duæ veritates inter ſe arctiſſimis vinculis cohærent. Homo hic ſcandalo eſt; tu autem te putas innocuum licet ille per electionem tuam, ſollicitationes, ambitum ad hoc munus fuerit evectus. Scito, illum nullum crimen committere, quod non recidat in te, & quod tibi imputandum non ſit. Secundum hæc principia conſcientiam ſuam debent excutere illi, qui collatione beneficiorum non alium canonem ſequuntur, niſi libidinem, & cupiditatem ſuam; illi qui ſuis affectibus præventi, citra examen morum affinium, vel amicorum ſuorum ardenter requirunt beneficia pro indignis; illi, qui auctoritate ſua, & inconſulto Deo, volunt filios ſuos Eccleſiaſticum ſtatum amplecti; illi, qui filios onerant beneficiis, quin cogitent ea tot eſſe vincula, quibus retinentur in eo ſtatu, qui illos non decet, & in quo fortaſſe poſtea quam alios plures perdiderint, interibunt. *Annus Evangelicus Lambert, Tom. 6.*

Sancti hujus Eccleſiaſtici Exemplum confundit miniſtros hujus tẽporis, qui ſe ſe

Heu! cur mihi non licet ad tanti hujus exempli conſpectum rubore ſuffundere tot indignos Miniſtros, qui Sacerdotio ſe immiſcent non ullius vocationis illecebra, ſed ob cauſſas carnis, & ſanguinis, ob humanas, politicaſque rationes, & ſolam ambitionem, & vanitatem? Conſilium hoc ſuſcipitur,

ut-

Immiſcent Sacerdotio non vocati.

ut extra domum collabentem inveniri perfugium poſſit, ut adverſitatibus ſolatium quæratur, ut honeſtum otium foveatur ſub ſpecioſo prætextu conditionis, quæ aſſumitur, & ſub habitu ſacro vita prorſus profana ducatur. Cælum, ac terra ſus deque movetur, ut in iis, quæ ad honorem, ac utilitatem pertinent, ſibi conſulatur, ſed nihil intentatum relinquitur, ut abjiciatur ſarcina, & onus, quo gravamur. Hoc non accidit Sancto N. qui non niſi trepidans ingreditur in officium miniſterii ſui; & licet ille ſe ſe non immiſcuerit in illud, ſed ſingulari divinæ Providentiæ juſſu fuerit vocatus; jugi timore agitatur, videns ſe ſublatum ad ſublime hoc miniſterium, quo ſibi Dominici gregis cura demandatur. *In Specimine Orationum Panegyricarum pro feſto die S. Joſeph.*

Quid faciendū Eccleſiaſtico, ut ſe præparet miniſterio cui deſtinatus eſt.

Vir ſacro deſtinatus miniſterio, ad illud ſerio, & conſtanti ſtudio ſe præparare debet, ſed laborem hunc lenire debet, eumque ſanctificare rectitudine intentionis ſuæ; debet ſcientias amare, non propter ipſas, ſed propter gloriam, quam Domino poſſunt procurare. Vetus eſt ars pſeudo doctorum ſimplicem popellum impellere, ut ſe ſe diſputationibus de Religione commiſceat. Veritas tua, Domine, laico non eget ſuffragio, cum auctoritate non reſidet niſi in ſacris Miniſtrorum tuorum labiis, quorum eſt Oracula tua pronuntiare. Ceterorum Fidelium pars humilitas eſt, & ſubmiſſio. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville.*

Eccleſiaſticus eſſe debet vir orationis ſi vult aliis inſpirare ſenſus pietatis.

Jeſus nunquam fere viſus eſt Judæorum populo dignior reverentia, & admiratione, quam cum viderunt illum de Thabor deſcendere. Dei famulus qui cum ipſo habet intimas, prolixas; ferventeſque communicationes, ut plurimum facile inſpirat aliis ſenſus, quibus ipſe primum repletus fuit in Monte Sancto. Vultis ne reverentiam conciliare miniſterio veſtro, & robur addere verbis veſtris? Eſtote viri orationis: per frequens Domini commercium æque ac Moyſes adquiretis hunc auctoritatis habitum adeo neceſſarium ad animos permovendos, gravem hunc ſanctitatis characterem adeo aptum ad animos conciliandos: hæc exteriora gratiarum genera non cedunt in gloriam eorum, qui illa recipiunt, ſed in honorem eadem concedentis. Si ergo voluerit Omnipotens illa vobis conferre, ne illis utamini, niſi ut prævaricatores magis, magiſque contremiſcant. Aliter uti idem eſt, ac prævaricari. Dignare Domine hoc a me prorſus avertere. *Idem.*

Virtutes Eccleſiaſtico neceſſariæ.

Si Caritas fraterna, patientia, lenitas ſunt virtutes, quarum praxis generatim Chriſtianis omnibus præſcriptæ ſunt, quam neceſſariæ videntur eſſe in Eccleſiaſtico, qui adeo frequenter veſcitur carnibus Agni, qui figura, & prototypus eſt Chriſtianæ manſuetudinis? Panis hic Eccleſiaſticus, qui, S. Auguſtino teſte, ſymbolum eſt perfectiſſimum unionis cordium, nunquid poteſt non mutari in mortale virus in anima, quæ ex felle, & amaritudine coaluit? Serio igitur voſmet colligite: conamini detegere, ſimulque exhaurire fontes diſſenſionis, iracundiæ, acrimoniæ. Pax cum fratribus veſtris diſpoſitio eſt ad J. Chriſtum recipiendum non minus neceſſaria, quam pax cum ipſo Deo. *P. la Neuville, Tom. 4. Moralis novi Teſtamenti.*

PRO COMMUNI SANCTORUM,

Confeſſorum, qui ſe Sanctificarunt in Statu Religioſo, Abbatum, Inſtitutorum Ordinis &c.

M O N I T U M.

TRecenti, vel quadringenti ſunt anni, ex quo Eccleſia in Sanctorum Album tantum Religioſorum ſexus utriuſque numerum retulit, ut deleviſſe videatur memoriam eorum, qui præceſſerunt; quorum multitudo tanta eſt, ut in ſolo S. Benedicti Ordine numerus fere infinitus recenſeatur, eo uſque, ut neceſſe fuerit ab aliorum Canonizatione ceſſare. Quapropter non eſt, cur nobis probandum ſit, quod Sancti Patres ſcripſerunt pro Religioſis generatim; videlicet hanc electam eſſe partem hereditatis Filii Dei, in quam ille plures effuderat benedictiones, & cui plura ad adquirendam ſanctitatem contulerat adjumenta: ita illi peculiarem habent neceſſitatem ad altiorem perfectionis gradum contendendi, præcepta, & Conſilia Evangelica obſervantes.

In hac autem Sanctorum Multitudine, qui in Ordine quiſque ſuo, & in regionibus aliquot ſatis cogniti ſunt, ſed in aliis parum noti, fieri poteſt, ut nihil ſuppetat dicendum de horum quopiam, de quo tamen elogium habendum eſt, niſi de obſervantia exacta, regulari, & conſtanti regularum communitatis Religioſæ, quæ cum per ſe Sanctæ ſint, conſequenter eos ſanctificarunt, qui religioſius illas obſervarunt, eoſque deinceps ad tantum perfectionis apicem elevarunt, ut digni fuerint, qui in Sanctorum catalogo adſcriberentur.

PRO COMMUNI SANCTORUM CONFESSORUM,

qui ſemet ſanctificarunt in Satu Religioſo, Abbatum, Inſtitutorum Ordinis &c.

Status Religioſus eſt ſtatus perfectionis.

NEmo unus ignorat, Statum Religioſum ſtatum eſſe perfectionis, non quidem adquiſitæ, ſed adquirendæ; & ſicut opera naturæ nihil perfectum habent ſine artis ſubſidio, quæ expolit, & perficit illa; ita virtus ſua habet principia, ſuos progreſſus, & præceptis, ac regulis indiget, quæ viam monſtrent, & ad altiorem perfectionis gradum attollant. At ſi vultis ſcire, quænam ſit hæc ſanctitas, in qua ſublimis hæc virtus ſita eſt, & quænam via ſit ad eam perveniendi; iterum dico, Deum ipſum eam connotaſſe omnibus Religioſis Ordinibus cuilibet in regulis ſuis, quæ dubitari nequit, quominus cælitus fuerint inſpiratæ eorum Inſtitutoribus; quos ideo replevit ſpiritu ſuo, ſuiſque luminibus illuſtravit, ut oſtenderent viam, per quam ambulare debebant illi omnes, qui eoſdem erant ſecuturi. Hoc in dubium vocari non poteſt; quandoquidem tenet S. Thomas leges etiam politicas, ubi juſtæ ſint, & inſtitutæ ad ſervandum rectum ordinem ditionis alicujus, eſſe divinæ, æternæque legis quamdam emanationem, & Deum quodammodo reflectere ſuam auctoritatem, atque ſapientiam in illos, quos conſtituit Legiſlatores. Quamobrem S. Paulus ait, omnem poteſtatem eſſe a Deo; ex quo argumentatur idem Apoſtolus: ergo illorum præcepta recipienda eſſe, eiſque tanquam ipſi Deo eſſe parendum. Sed hoc potiori jure, majorique cum certitudine dici poteſt de his legibus adeo ſanctis, atque perfectis, quarum finis eſt ſanctitas ipſa, videlicet de regulis cujuslibet Ordinis Religioſi propriis, quæ quidem variæ ſunt; quippe voluit Deus multiplices eſſe vias, quibus ad hanc beatitudinem perveniremus, ſed omnes certas, tutaſque eſſe, ut illos qui eas ſequerentur ad ſtatus ſui perfectionem adducerent; & quæ vocari poſſent idea, & menſura hujus perfectionis, quam ab illis exigit; ita ut ſicut homo vere hominis vitam ducit, cum ſequitur lumina rectæ rationis, & vere Chriſtiani, cum Dei mandata ſervat, & ſequitur Evangelii dogmata, ſecundum quæ vitam ſuam debet inſtituere; ſimiliter Religioſus perfectus ſit, & ſtatus ſui munera adimpleat, cum ad unguem ſuas Regulas ſervat, & vota. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Quæcunque opera bona Religioſus facere queat Deum præſertim quærit ut ſint regulæ conformes.

Licet Religioſus omnia bona opera faceret, quæ zelus ardens illi ſuadere poteſt; licet omnes excogitabiles auſteritates exerceret; licet dies nocteſque in jugi, ferventique Oratione traduceret; ſi hæc omnia minime fuerint regulæ ſuæ conformia, minime ſunt in ordine officiorum ejus; neque hoc exigit ab illo Deus: cum e contra vulgatiora, & communiora opera Deo non placere non poſſunt, quia in illis Dei voluntatem adimplet. Et ecce, quid parere debeat gaudium, conſolationem, & pacem cordis ipſius; hæc nempe certitudo, qua ſcit ſe eſſe in eo ſtatu, in quo illum vult Deus, & ſe facere omnia, quæ placent Deo. Hoc hujus nomine Regius Propheta pollicetur: *Pax multa diligentibus legem tuam,* (*Pſal.* 118.) Alioquin ſemper anceps, incertuſque eſſem, utrum opera mea Deo eſſent accepta, & utrum oculo benigno me ſupremus rerum Dominus intueretur. Sed nihil jam eſt, quod mihi figat crucem: omnes actiones meæ, greſſus, officia ſingillatim in regula connotata ſunt, qua doceor ſingularum rerum tempus, locum, diuturnitatem, omneſque circumſtantias. Regula præſcribit, quibus veſtimentis induendus ſum, quibus cibis utendum, quo in loco habitandum; imperat quandonam mihi loquendum, quando tacendum, qua hora preces fundendæ, labori vacandum, quieti indulgendum: & per ſingula erudit quomodo in omnibus memet gerere debeam. Mihi igitur in id eſt incumbendum, ut rite illam obſervem; & jam ea in parte pacem conſecutus ſum; jam ſcio quid a me velit Deus; ſum in hac recta via, per quam juſtos ad editiſſimum ſanctitatis gradum adducit. Hæc enim regula, quæ mihi monſtrat viam, menſura eſt, idea, & exemplar, quod mihi proponendum eſt: ita ut ſicuti opus perfectum eſt, cum ſecundum omnes artis regulas elaboratum eſt; ita de Religioſo viro fideliter obſervante regulas, & ideam prfectionis ad quam vocatur a Deo, replente, dicere poſſim, eum talem eſſe, qualem vult Deus; hac in re tandem judicatum iri a Domino, qui conſtituet gloriæ menſuram, & præmium, quod meritus fuerit; non autem ſecundum magna opera, quæ fecerit, neque ſecundum magnifica officia, quæ exercuerit, neque ſecun-

cun-

cundum numerum animarum, quis converterit, neque demum ſecundum magnos labores, quos hauſerit, niſi hi conformes fuerint regulis ſuis, quæ prima ſunt ejus officia, & veræ obligationes. *Idem.*

Regulæ non ſolum certiſſima ſunt Religioſo media ad vota ſervāda, ſed ſtatuunt etiam quomodo ſervanda ſint.

At enim, inquiet fortaſſe quiſpiam, cum vota ſint in Religione maxime neceſſaria, Religioſum illis potiſſimum curam præcipuam impendere debere, & ex illis ſalutem ac perfectionem ejus pendere. Sed hoc eſt id confirmare quod dixi; nam præterquam quod regulæ certiſſima ſunt media ad vota integerrime ſervanda; modum etiam determinant; docent, quo uſque extendenda ſint, & illa accommodant ſingillatim cuilibet Ordini Religioſo, quemadmodum S. Bernardus animadvertit: *Qui profitetur, ſpondet obedientiam, non omnimodam, ſed determinate ſecundum regulam.* Quo poſito dicere peculiariter poteſtis de illis, quas glorioſus Inſtitutor vobis præſcripſit, eas ſimul eſſe ideam altiſſimæ perfectionis, æque ac medium ad eam perveniendi propter admirabilia placita, quæ complectuntur, & eas res, quas præcipiunt, quæ ad maximam ſui abnegationem, ad cæcam uſque obedientiam, ad ſummam rebus in omnibus mortificationem, ad virtutes omnes in ſublimi gradu exercendas procedunt. Itaque regulæ veſtræ non ſolum ſunt vobis via recta, per quam vos Deus ad perfectionem adducit; ſed via illa admirabilis, de qua loquitur Sapiens; *Deduxit illos in via mirabili.* (*Sap.* 10.) Quia nulla via tutior, breviorque eſt, per quam citius, ac tutius perveniatur ad Sanctitatem. Verum igitur eſt vos nihil melius, ſanctius, atque perfectius efficere poſſe, quam ad unguem ſervare regulas veſtras, quibus continetur quidquid ex vobis Deus poteſt exigere. *Idem.*

Qua in re conſiſtat obligatio qua Religioſi tenentur præ ceteris ad ſanctitatem contendere.

Quandoquidem S. Thomas, aliique Doctores cum illo docent, Religioſum ſtatus ſui teneri ad perfectionem contendere, quæritur, utrum illi qui manent in mundo, eadem obligatione teneantur; quoniam Dei Filius omnibus, cujuſcumque tandem ſtatus, & conditionis illi ſint, ait: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Reſponderi poteſt utriſque admitendum eſſe, ut propriam ſtatus ſui perfectionem aſſequantur; ſed in Chriſtianiſmo duplex eſſe perfectionis genus, quorum alterutrum ſuos habet gradus, alterum quidem ad eos ſpectat, qui in mundo vivunt, & quod in eo ſitum eſt, accurate obſervent præceptam: alteram vero, quod a Religioſis exigitur, ut videlicet præcepta cum conſiliis obſervent; & ita primi perfecti eſſe debent priori modo, & ſemper contendere, ut in dies progrediantur; ſecundi vero præceptis conſiliorum obſervantiam adjiciant; quoniam hæc illa perfectio eſt, quam ſe ſecuturos profeſſi ſunt. Cum autem iſta perfectio in Chriſtianiſmo ſit ceterarum maxima, cum dicimus Religioſis ad perfectionem eſſe contendendum, intelligimus de altiſſima ſtatus ſui, juxta regulam D. Thomæ, attribuendi ſpeciei excellentiſſimæ nomen, quod omnibus eſt commune. *Auctor Recens.*

Ad quid Religioſus teneatur, ut ea adimpleat, quæ in hac re debet.

Quemadmodum Religioſus per ſtatum ſuum tenetur ad perfectionem caritatis, intimæque cum Deo unionis contendere, quæritur quibus mediis ad finem hunc debeat pervenire? & cum S. Thoma Doctores reſpondent, per vota, regulaſque ſuas. Hæc media ſunt illi neceſſario utenda, ut ad hunc finem perveniat, & debet velle perfectum eſſe, & per hanc viam ad terminum hunc anhelare. Qua in re ſi deſit, ſibi perſuadere debet, ſe peccare; quod ſi quæratur quodnam peccatum ſit, & in quo ſit poſitum; inquiunt Theologi eſſe mortale, ſi Religioſo mens non eſt ad hanc ſtatus ſui perfectionem perveniendi, neque viam ingreditur, qua illuc aſſequatur; nam licet re ipſa perfectus eſſe non teneatur, tenetur tamen non habere oppoſitam voluntatem, & ſeſe non profiteri perfectionis inimicum. Peccatum vero veniale tantum eſt, ſi Religioſo vere mens eſt ad Religioſam perfectionem contendendi ea adimplenti omnia, quæ ſecum ferunt obligationem mortalis peccati, ſed per quamdam ignaviam, & negligentiam ſpiritus nolenti tantum laborem ſubire, quantus ad ſui perfectionem requiritur, ſecluſo tamen formali contemptu. *Idem.*

Privilegia, quibus gaudent Religioſi, ut ſe ad eminentem perfectionem attollant.

Docet S. Thomas per tria vota, quæ Religioſus elicit; hunc pro virili parte fugere peccatum, & occaſiones quæ in illud poſſent adducere, namque ut idem S. Doctor animadvertit, ille procul abeſt a deſiderandis, vel uſurpandis alienis bonis qui ne ſua quidem ſervare vult; neque ita facile illicitas conſectatur voluptates, qui a legitimis quoque abſtinere decrevit; neque audet voluntatem ſuam divinæ anteferre, quandoquidem propter Dei amorem vovit ſe voluntatem ſuam hominis voluntati ſubjecturum. Per hæc eadem vota ſe in beata neceſſitate conſtituit ſerviendi Deo, ideoque æterna felicitate gaudendi; ſibique imponit ineluctabilem neceſſitatem exercendi virtutes, ſeu Theologales, ſeu Morales, pœnitentiam, caritatem erga proximum, humilitatem, ſenſuum, & cupiditatum mortificationem, & ea omnia, quæ fidelem poſſunt ad eminentem ſanctitatem attollere. *Auctor Recens.*

Per religioſam profeſſionem obtinetur remiſſio omnium peccatorū patratorum in ſæculo.

Inter Religioſi ſtatus, quem amplectimur privilegia, omnes poſt S. Thomam Doctores aſſerunt ingreſſum Religionis alterum eſſe Baptiſmum, qui remittit peccata in ſæculo commiſſa non ſolum per viam Indulgentiæ, ſed etiam per viam meriti; continet enim actum, cujus pretium ſatis æſtimari non poteſt. Hanc rationem afferunt Theologi; quia hæc indulgentia, & remiſſio non procedit ex conceſſione a Summo data Pontifice, quæ plures requirit conditiones, quæ non ſemper inveniuntur in illis, quibus conceduntur Indulgentiæ. Sed ex ipſa natura actionis, quæ ſit; quæ talis eſt, ut omni tempore, omni in loco, & in omni perſonarum genere eumdem pariat effectum. Hoc innititur auctoritati Sancti Hieronymi, qui ratione convictus ait, hac in re vitæ Religioſæ profeſſionem non admodum a Baptiſmo differre. Et S. Bernardus, cui non minus perſuaſum eſt de hac veritate, duas alias rationes affert, primam propter magnam pœnitentiam, cui noſmet ſubjicimus, & quam ſecum gerit hæc actio; alteram vero propter excellentiam vitæ ſpiritualis, quam ingredimur. *Idem.*

Religioſa vita ſpecies eſt Martyrii.

Quod præſtantius, ac nobilius in Religioſo ſtatu invenitur, eſt hæc omnimoda traditio ſui ipſius in manibus Dei per tria vota, quæ nuncupantur; quæ quidem actio eſt adeo excellens, & heroica, ut Sancti comparent hunc ſtatum cum ſtatu Martyrii. Et ſane hoc eſt juge martyrium, quod quidem, S. Bernardus ait, minus horroris habet, quam illud, quo cruciatibus membra torquentur, ſed quod eſt ipſa diuturnitate moleſtius; illud enim, quod Tyranni fidelibus inferebant, unico enſis ictu terminabatur, ſed illud Religioſorum non uno ictu perficitur; prolixum eſt martyrium, quod quotidie innovatur in nobis, modo per ſuperbiæ noſtræ abjectionem, modo per noſtræ voluntatis & noſtrorum luminum exinanitionem, ita ut cum Pſalmiſta dicere valeamus: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis* (*Pſal.* 43.) Tamen noſtra ſubmiſſio hoc in ſtatu talis eſſe debet, ut ſicut Martyres ſibi non eligebant ſupplicii, mortiſque genus, & ſemper erant parati ad illud recipiendum, quod ſibi inferebatur: ita Religioſus ſemper eſſe debet præſto ſubeundis mortificationibus, quæ ſibi inferuntur. *Idem.*

Dolores illorum qui, in ſtatu Religioſo ſe ſe non ſanctificaverint.

Fides, & fortaſſe ratio ſola nonnunquam ſatis eſt ad omnes invidiæ motus cohibendos. Homo, qui ſolide Chriſtianus eſt, aut vere Philoſophus, videt ſæpe ſumma cum animi tranquillitate prælationes quæ conceduntur non ſine detrimento ſuo competitoribus, quos contemnit; ſed quis poterit conſolari hunc Cœnobitam, hunc Solitarium, qui hic in terris acceperant primitias ſpiritus, & pretioſa gloriæ cæleſti pignora, cum juſtitiæ corona, cujus ſe certos eſſe opinabantur, repente evaneſcere alteri concedenda? Primum tenuerant locum in domo Dei; nonniſi noviſſimum in Regno illius obtinebunt; fortaſſis etiam inde penitus prohibebuntur, & cogentur locos ſuos cedere Laicis, quos erudierant, impudicis mulieribus, quas converterant, publicis peccatoribus, quos in Cælum perduxerant, quo ipſi nunquam ingredientur. O Deus, quomodo non exprimi, vel intelligi poterunt gemitus, dolores, querimoniæ horum prævaricatorum ad conſpectum graviſſimæ hujus prælationis? *Ex libro cui titulus: Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville. Tom. 4.*

Religioſus ſua officia nequit obire, niſi regulas Religionis obſervans.

Conſtat, regulas Religioſorum veram eſſe viam, quam Deus ipſe illis indigitavit, ut ad veram perfectionem perveniant: quandoquidem per illas his ſuam voluntatem aperuit. Igitur errare, eſt aliam viam ſequi, & illuſio mera eſt ſincere oculos ſuos perſtringi actionibus nitentibus, præclare geſtis rebus pro gloria Dei, nihil a nobis tale petentis, per auſteritates, & virtutes, quæ ſtatus noſtri non ſunt; nam quod in ſe bonum eſt, & quod etiam eſt optimum, ſanctiſſimum, & glorioſiſſimum, ubi juxta ordinem fiat, tale amplius non eſt, cum ab ordine recedit; vel ſaltem non eſt aliud, quam bonum arbitrarium, de quo dici poteſt, quod Sanctus Auguſtinus ait de virtutibus infidelium: *Magni paſſus, ſed extra viam.* Magna ſunt opera, magni conatus, ſed qui minime proſunt, quia ſunt extra viam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Spiritus Dei inſpirare nequit zelum hunc, & illi ſuadere, ut ea faciat, quæ regulis prohibentur; & prolixis his precibus vacet, quæ illum a munere ſuo obeundo prorſus avertunt; ut extra ordinem ſe implicet auſteritatibus quibus ſibi crucem figit, ut ſibi benevertat opus, in quo agi putat de gloria Dei. Non ita; Dei ſpiritus ſuadere nequit hæc negotia, quibus ſe immiſcet ſub colore caritatis, & cetera, in quibus regula non obſervatur, ac de iis illud dicendum eſt, quod olim Deus reſpondit populo ſuo conquerenti, quod ille rationem non habuiſſet jejuniorum, & mortificationum ſuarum. *In jejuniis veſtris reperitur voluntas veſtra.* (*Iſ.* 58.) Veſtram, non Dei voluntatem facitis, pro vobis, non pro illo laboratis. Hæ igitur actiones ſunt a regula abnormes; bona ſunt opera, meritis carentia, zelus & caritas Phariſaica, quæ ſua deſerit munera, & officia, ut ad arbitrium agat quærens fortaſſe occaſiones ſemet liberandi ab ea cruce, quam illius ingenio ſtudiiſque regula figit. Ita inanem ſanctitatis, & perfectionis conceptum aſtruit ſibi, qui illum conſtituit in aliis actionibus, quam in iis, quas regula perſcribit. In hoc enim ſita eſt mortificatio, vera ſui ipſius abnegatio, vera violentia, quam quiſque ſibi debet inferre; ita ut licet aliunde fierent prodigia, totus converteretur orbis, & fieret totus ille fructus, quem magnus quidem zelus, ſed inordinatus, & ex adhæſione proprii ſenſus procedens, ſuaderet, hæc omnia eſſent nauci facienda. Cum enim de virtute agitur, hoc ineluctabile principium eſt, primum ea eſſe facienda quæ ſunt de neceſſitate, antequam de illis cogitetur, quæ ſunt ſupererogationis; primum ea eſſe adimplenda, quæ præcepti ſunt, & mox ea, quæ conſilii; quippe hic ordo eſt a Deo conſtitutus. Igitur cum vota, regulæ, obſervantiæ prima ſint officia noſtra poſt præcepta, quæ nobis ſunt cum reliquis Chriſtianis communia, non licet nobis has obligationes pro aliis omittere,

quæ